Seneca, Lucius Annaeus, the elder

Thomas, Emil

Schedae criticae in Senecam Rhetorem selectae.

Herrn Professor Dr. A. Kiessling

hochachtungsvoll

d. Verf.

SCHEDAE CRITICAE
IN
SENECAM RHETOREM
SELECTAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS
PHILOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIEDERICA GUILELMA BEROLINENSI
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE XXXI. M. MAII A. MDCCCLXXX
HORA XI
PUBLICE DEFENDET
SCRIPTOR

AEMILIUS THOMAS
POSNANIENSIS.
Emil Thomas

ADVERSARII ERUNT:
IOHANNES BOLTE, CAND. PROB.
IOHANNES EGGERT, CAND. PHIL.
CHRISTIANUS HUELSEN, DR. PHIL.

BEROLINI
TYPIS EXPRESSIT H. S. HERMANN.
Beuthstrasse 8.

IOHANNI · VAHLENO

D · D · D

Qua ratione in edendis tractandisque antiquis scriptoribus factitanda esset ars critica, nostro demum saeculo duce et auctore Carolo Lachmanno et plenius intellectum est et comprobatum exemplis nobilissimis. Scimus nunc omnes omnem crisin niti debere certo solidoque fundamento, scimus ante omnia elaborandum esse in eo, ut codicum superstitum fides acri iudicio exploretur, ut investigetur si qua inter eos intercedat cognatio, ut eorum, quorum aliqua sit auctoritas, testimonia enotentur et perpendantur quam accuratissime. Atque hoc ipsum recensendi, quod vocamus, officium, quo magis scriptoris alicuius libri sive temporum iniuria sive hominum aut inscita neglegentia aut intempestiva sedulitate sunt depravati, eo fructuosius solet esse. Cuius rei exemplum imprimis luculentum nostra aetate proditum est recensis et castigatis ad optimorum fontium fidem Senecae patris suasoriarum et controversiarum libris. Etenim corpus ἀκέφαλον et ἄπουν incredibilem in modum detruncatum maleque mulcatum ut tandem aliquando via et arte curari posset, effectum est ea maxime re, quod fideli diligentia detecta sunt ipsa vulnera, quae maximam partem per haec quattuor fere saecula leviter obtecta potius quam penitus sanata iacuerant. Quam operam qui anno MDCCCLVII strenue inchoavit Conradus Bursianus de his reliquiis tot nominibus meritus est, ut sospitatorem Senecae iure eum appellaveris. Inchoatam autem tantummodo operam dico, quippe quae laboret vitiis sat multis et gravibus, ut inter harum rerum peritos dudum constat; — neque vero hac re eo deduci nos patiemur, ut virum ingeniosum sua laude fraudemus: fuit enim tantae molis opus, ut unus homo illud plene perficere vix potuerit, nisi si Herculis

viribus praeditus esset, quibus sese carere ipse Bursianus (praef. p. XI) ingenue confessus est. Secuta est anno h. s. LXXII editio Adolphi Kiesslingii[1]) optimae frugis plena, qua in horum librorum et recensione et emendatione permultum profectum est. Namque de codicibus in universum, partim praeeuntibus aliis viris doctis, tam probe ille iudicavit[2]) eorumque lectiones tam accurate et diligenter proposuit, vix ut quidquam, ut nunc res sese habet, desiderari possit, nisi quod caremus adhuc plena codicis Vaticani, quod archetypon codicis Toletani esse evicit Kiesslingius, collatione, ex qua aliquid fortasse emolumenti aliquando redundabit. Porro iactis hoc modo fundamentis solidis idem superstruxit aedificium satis mundum perpolitumque, partim suum ipsius secutus ingenium, partim aliorum virorum doctorum usus inventis. Atque perbene quidem fecit et iuste, quod saeculi XVI et XVII criticorum, — Nic. Fabri, A. Schotti, J. Fr. Gronovii,

---

[1]) Si qui dissertationem meam diligentius perlecturi et examinaturi sunt, ei hanc Kiesslingianam editionem, qua etiam in denotandis locis ubique utar, semper velim ad manum habeant; saepe enim, ne videar μακρολογεῖν, res mea opinione leviores consulto praeteribo, neque, a quo quaeque emendatio vel certa vel probabilis, qua cum illo utar, profecta sit, memorabo.

2) Praecipue in eius laude ponendum est, quod excerpta, a prioribus editoribus nimis fastidiose spreta, fere ubique prudenter et caute adhibuit. Quamquam est, ubi ab eius rationibus recedendum videatur. Velut Contr. VII. 17,3. p. 315,2 sententia aperte flagitat, ut scribatur secundum excerpta *non credidisset Popillium facturum* (Kiessl. codd. pleniores secutus *fecisse*) *Antonius, nisi in mentem illi venisset illum et parricidium fecisse.* — Neque bene Contr. VIIII. 24,2. p. 392,24: . . . *quod illius calamitatium exitium fuit carcer, mearum initium* codicum AB scriptura *exitum* pellectus frigidum iocum intulit, neglecta optima codicis T lectione *exitus*, quae etiam excerptis confirmatur, — cum praesertim appareat, quam facile post *calamitatium* ille error nasci potuerit. — Contr. VIIII. 28,6. p. 432,9 asyndeton *coniugem liberos eius* in illa totius orationis conformatione ferri nequit, estque correctio certissima quam suppeditant excerpta *liberosque.* — Gravius porro est. quod Contr. II. 11,7. p. 184,25, sicut pervulgatum erat, edidit: *Agedum in medium, senex, cuius misericordia crudelis sum;* ego certe talis ellipsis exemplum nullum novi. Iam vero quem desideramus imperativum, servatus is est in excerptis quae habent *procede.* Reponendum igitur censeo: *agedum (procede) in medium. . .* Quod autem qui excerpta confecit vocabulum *agedum* omisit, suo more fecit. Similiter p. 442,2 H. J. Muellerus (cfr. Fleckeis ann. CVII. p. 552) inter se comparatis et coniunctis pleniorum codicum excerptorumque scripturis Senecae manum restituit. — Denique, ut ultimum hoc afferam, non probo, quod Contr. X. 32,16. p. 489,24 epitomae

Joh. Schultingii, aliorum — observationes ex situ et tenebris, in quibus fere delitescebant, in lucem protraxit, utpote in quorum commentariis et notis diffusis inter vitiosa atque adeo inepta multa innumerae lateant, ut ita dicam, auri micae, quibus prudenter uti et rei ipsius causa debemus et ut suus cuique honos tribuatur.[1]) Recentiorum autem criticorum commenta praesto ei erant et numero et gravitate admodum conspicua, praeter ea quae Frid. Haasius[2]) reliquerat et Bursiani curas secundas imprimis Joh. Vahleni, H. J. Muelleri, C. F. W. Muelleri, quibus ultimus sese aggregarat Nicolaus Madvigius ὁ πάνυ, cuius eximium ingenium hic quoque saepenumero admiramur. Verum etiam post tot tantorumque virorum acres labores in Senecae Rhetoris libris permulta esse, de quibus utiliter nec sine spe felicis eventus possit disputari, persuasum habeo conaborque hoc qualicunque libello, qui tirocinii et speciminis instar velim habeatur, ad perpoliendos illos illustrandosque aliquid conferre. Instituam autem rem ita, ut multiplicem materiam, quantum fieri poterit, digeram coniungamque paria similiave quae saepius invicem sese fulciant coniunctaque citius fidem sibi faciant. In argumentando, ne lectorum patientia abutar, quam brevissimus esse studebo, non tamen mihi interdico, ut ne, si res ita ferat, incidente aliqua quaestione ampliore, paullo longius liberiusque excurram.

---

verbis (p. 520,4) *etiam morte patri quaesivit invidiam* ita usus Kiesslingius est, ut scriberet *cum dixit (etiam morte patri invidiam quaesisse) [sed] non propter patrem illam perisse.* Turbatur enim orationis continuatio intextis illis verbis ab hoc loco plane alienis, quae tali potius sententiae accommodata sunt: ‚odit patrem: etiam morte invidiam ei quaesivit.' Immo tenendum *cum dixisset* concedendumque in excerptis exstare vestigia alicuius coloris, qui in plenioribus codd. omnino interciderit.

[1]) Licet Kiesslingium plerumque circumspecte rem egisse libenter concedam, tamen nonnulla ille praetermisit mentione dignissima. Sed quoniam mea maxime novaque proferre in animo mihi est, hanc rem dedita opera persequi nolo: uno nunc exemplo contentus ero. Contr. I. praef. 22. p. 66,13 codd. exhibent: *cum vos sententias audire velitis et quidquid ab illis abduxero, molestum futurum sit.* Kiessl. deleto *ab* scripsit *adstruxero*, — verum est sine dubio *abduxerit*, quod cum ego olim coniecissem, nuper vidi in Gron. ed. a. MDCLXXII exstare. Ceterum talia infra confirmationis causa aliquotiens in transcursu notabo.

[2]) Idem Haasius et Otto Jahnius emendationes multas iam cum Bursiano communicarant.

I.

Cum ex iis quae supra exposuimus pateat, si quis alicuius antiqui scriptoris opera via et ratione ad genuinam formam redigere animum induxerit, eum, ut suo quidque modulo metiri possit, etiam in hominum eorum, qui exemplaria favente fortuna nobis servata testiumque vicem excutienda confecerint, naturam et consuetudinem quodammodo insinuare sese debere, nos quoque disputandi initium apte capiemus a perpendenda et tractanda funesta quadam librariorum consuetudine, quae in emendandis his Senecae libris non impune neglegitur. Cernitur ea in bis exarandis eis quae semel exaranda erant, quibus dittographiis, praesertim si pauculis litteris continentur, nonnumquam effectum est, ut scriptoris verba paullo plus etiam obscurarentur. Cadit hoc mea opinione in Contr. I. 2,8 p. 85,12: *omnis sordida iniuriosaque turba huc* (sc. in lupanar) *influit, nec quisquam eo ut iudicet venit.* De *iudicando* hic agi non posse ratio clamat sensitque W. Muellerus; qui tamen quod proposuit *te vindicet*, verum invenisse vix putandus est: videntur enim illa magis in universum pronuntiari, dixissetque Cestius, ni fallor, certe ‚veniet' vel ‚facile venerit.' Quod Kiesslingius autem in adnotatione temptavit *ut pudic(am quaer)at* probabilitate plane caret. Scribendum puto: *nec quisquam eo ut decet venit.* Erroris origo ante oculos posita est moneoque etiam p. 220,17 ex codd. AB lectione *dicere* certa coniectura effectum esse *decere.*

Sed ut pergamus, tales dittographiae, in quibus alterum alteri continuatur, fere in omnibus codicibus frequenter inveniuntur: in eis, de quibus nunc nos agimus, hoc genus multo latius patet. Saepe enim qui ipsum codicum nostrorum archetypon exaravit vel quisquis ante eum primus illis locis dormitavit, delapsus ad verba quolibet spatio interiecto vel insequentia vel praecedentia vitiosas commisit repetitiones, quas ipse, sive errorem omnino non animadvertit sive exemplaris nitori nimis anxie consuluit, non sustulit.

Atque talia quidem vitia multa cum olim tum nuper correcta sunt: bona pars adhuc criticos fefellit, cum aut insitivas illas particulas integras concoxerunt aut mutando, non expungendo, opus esse censuerunt. Atqui est haec ipsa in resecando posita emendandi ratio in his libris certissima firmiterque tenenda, modo possis illum erroris fontem deprehendere. Neque vero alienum videtur hoc asseverare, siquidem p. 188,15 vel Kiesslingius haesitavit. Quamquam hic ut semper examinandus est ipsius scriptoris usus, ne immerito increpemus librarios. Velut Contr. II. 10,7. p. 177,13 '*ut quomodo ego illam*', *inquit*, '*falso nuntio terrueram, sic illa*', *inquit*, '*me falso periculo terreret*' inde a Schotto — qui quidem satis mirum in modum de ,glossemate' loquitur, — secluditur alterum *inquit* fateorque eodem modo olim me p. 220,22 '*hoc fuit*', *inquit*, '*quare desinerem. sentiebam*', *inquit*, '*me senem fieri*' expungendum putasse alterum *inquit*: sed si contuleris ex. c. p. 222,4—5. p. 357,14. p. 358,16—17. p. 366,20—21. p. 473,5—7. p. 494,24—26, concedes neque hoc neque illo loco quidquam mutandum esse.

Age nunc, ut ad ipsam rem aggrediamur, videamus de Suas. I. 12. p. 8 - 9. Mentio ibi fit de corrupto aliquo loco petito ex Dorionis metaphrasi Homeri; verba Graeca librariorum culpa in codd. nostris omissa sunt, pergit autem Seneca, si Kiesslingium sequimur, sic: *Haec quomodo*[1]) *ex corruptis eo perveniant, ut et magna et tamen sana sint*, *aiebat Maecenas apud Vergilium intellegi posse. Tumidum est: ὄρεος ὄρος ἀποσπᾶται. Vergilius quid ait? rapit*

haud partem exiguam montis.

Ita (a) magnitudine discedit, ut non imprudenter discedat a fide. Nondum emendatum est ultimum enuntiatum. Boni codd. BV (in A nonnulli versus interciderunt) miro concentu exhibent *ita magnitudinis cedat studet*: iam vero si quis cum Kiesslingio faciat, pervelim scire, quomodo illud *studet* in textum irrepserit Neque maiorem fidem habuerim Bursiani correctioni *ita magnitudini cedat studet*, *non imprudenter discedat a fide*: per mihi mira videtur verborum structura vincitque res ipsa Vergilium non cedere magnitudini,

[1]) Coniungenda haec esse cum praecedentibus et ad eandem metaphrasin Homeri, non ad dithyrambum nescio quem referenda apparet. cf. Burs. in Zarnckii Lit. Centralbl. 1873 p. 1555.

immo cedere fidei. Ego mihi persuasi scribendum esse: *ita magnitudini studet, ut non imprudenter discedat a fide.* Sententia perspicua est et manifestus error: praeceptae sunt ex insequenti *discedat* sex illae litterae *scedat.*

Contr. I. 2,11. p. 86,23: *Junii Gallionis. Ambitiosa lex est: ad sacerdotium non ullas (nisi integrae) non sanctitatis tantum, sed felicitatis admittit.* Ingeniose spreta interpolatione vulgo recepta locum mancum supplevit Haasius: sed quod pro *non nullas* scripsit *non ullas*, ego dissentio. Ut sana fiat lectio, deleamus potius voculam *non*, quae unde invecta sit, de erroris genere admonitum neminem, opinor, fugit.[1]) Ceterum *ambitiosa* lex optime dicitur, neque erat cur a Schultingio scrupulum sibi iniici pateretur Kiesslingius: rectissime praecipit Gell. N. A. VIIII. 12,1 *'ambitiosus' et qui ambit et qui ambitur*, et appellantur, ut noto exemplo utar, apud Ovidium (Fast. V. 298) dei *turba ambitiosa*; sic nostro loco legem *ambitiosam* vocari puto ob eam causam, quod quasi ambiri sese velit neque facile cuiquam faveat moremve gerat. — Plane eodem modo rem administro Contr. VIIII. 26,2. p. 413,15: *Maiores nostri viderunt quam effusa esset indulgentia pro suis timentium, quam parata quicquid posceretur dare; itaque pro patre lex nostra cum educatore pacta est.* Codd. habent *lex non cum*: nos neque cum Schultingio *lex nostra* neque cum Bursiano *lex iam* neque cum Fabro *lex non pro educatore facta est* scribemus, sed tollemus confidenter illud *non*, ortum ex eo quod statim sequitur *non potui obligari.*[2])

Contr. I. 5,6. p. 110,15: *Quartam ibi fecit* (scil. Latro) *quaestionem: si non potest utriusque rata esse optio, utra dignior sit.* Codd. praebent *quartam mihi*, ex quo illud *ibi*, quod Kiesslingio placuit, effecit Bursianus; olim vulgabatur *inde.* At otiosum

---

[1]) Largam talium exemplorum copiam congessit Kiessl. Neue Beitr. z. Krit. d. Rhet. Sen. Hamb. 1871. p. 10 sq.

[2]) Quamquam dubito, num re vera huc pertineant, pauca subiicere libet de Contr. I. 3,8. p. 98,2: *Cestius et illas subiunxit huic ultimae quaestioni: an dii immortales rerum humanarum curam agant; etiamsi agunt, an singulorum agant; si singulorum agunt, an huius egerint.* Nemo semel monitus negabit illud *etiamsi* orationem perturbare; cum autem *etiam* antecedentibus adnecti vix possit, equidem, sive a praecedenti *curam* originem traxit *etiam* sive alio errore ortum est *etiamsi*, non dubitaverim restituere *si agunt, eqs.* [Vahleno scribendum videtur: *omnium si agunt, eqs.*]

et pravum est utrumque: simpliciter tollendum est *mihi*, utpote natum ex iis quae proxime praecedunt *sed non mihi.* Cuius emendationis quo augeatur fides, vide sis totius orationis tenorem: § 4 *Latro primam fecit quaestionem*, § 5 *alteram fecit*, § 6 *tertiam fecit*.

Contr. I. 7,3. p. 121,1: *Quare non alo? quia captum filium tuum — certe parum est si dixero non redemisti.* Omnes codd. hic exhibent scripturam mendosam *agere parum.* Per complura saecula legebatur ex coniectura speciosiore quam veriore *age parum*: recte enim nuper observatum est non uti illa forma Senecam nisi ubi infertur interrogatio. Quare Kiesslingius edidit *certe parum*, qui tamen in praef. p. XIII ipse sibi diffisus scribit haec: „fortasse praestat: *at certe parum est*". Mihi neutrum placet: puto omnino delendum esse *agere*, quippe quod natum sit ex eo quod post *redemisti* sequitur vocabulo *alere.* Etenim haud ita raro factum est, ut in ipsis eiusmodi repetitionibus insuper levius committerent librarii. Sic p. 176,11 Kiesslingius recte delevit *fuit* ortum ex sequenti *fecit*; p. 120,24 altero loco *unam* altero *iam* exaratum est in omnibus codd.; p. 113,17 altera vocabuli *pannis* syllaba praecepta scriptum est *nisi*; etiam maiores turbas habes p. 344,9. Ad stabiliendam orationis formam conferri potest p. 101,15 *Conceptus est iste — ex quo sciemus cum adulteros deprehendero.*

Contr. II. 12,12. p. 200—201: *Hanc controversiam cum declamaret Maximus dixit quasi tricolum tale qualia sunt quae basilicam infectant.* Hoc loco equidem non intellego, qualis sensus qualeve acumen insit in vocabulo *quasi* persuasumque habeo illud ex antecedentibus: . . . . *unum tantum es non quasi*, *vappa* perperam repetitum esse. Et video iam olim Schottum (not. p. 601) recte idem sensisse.[1]) Sed est aliud etiam dignum de quo quae-

---

[1]) Sic etiam Contr. II. 9,39. p. 173,5, ubi codd. habent *totam inquid bene dixit controversiam, sed hoc genere eqs.* dudum intellexi inducendum esse *inquid*, quod ex praecedentibus (v. 5) huc irrepsit. Seneca si *quidem* scripsisset, quod scripsisse eum putat Bursianus probavitque Kiesslingio, certe post *bene* illud posuisset. Modo evolvi Gronovianam editionem: nescio an agnoscenda sit ratio et iudicium, certe nullum ibi importunae vocis vestigium.

ratur. Kiesslingius scripsit Jahnio obsecutus *tricolum tale qualia sunt quae basilicam infectant*: at vero *infectare*, quod sciam, Latinum vocabulum omnino non est, iure igitur dubitabimus codd. lectionem vitiosam *insectant* isto modo mutare. Quod olim vulgo legebatur *infestant* est sane Latinum, sed perquam ineptum. Ego putaverim agnoscendum esse verbum *sectandi*,[1]) in eo autem quod est *basilicam* latere vocabulum, quo id hominum genus breviter denotetur, qui in basilica versari et agere soleant. Quod quale fuerit ambigi potest. Novimus tale nomen declinatum ex hac glossa:[2]) „*basiliciarius μαλακός ἀγοραῖος*", possumusque eo fortasse hic uti, sicut Sen. de brev. vit. X. in. dicit *Fabianus, non ex his cathedrariis philosophis, sed ex veris et antiquis*: verum habemus etiam alterius cuiusdam declinationis, quae nescio an hic praeferenda sit, vestigium in versu, ut videtur, subditicio, sed tamen satis antiquo et bene Latino Plaut. Capt. IV. 2,35: *Quórum odos subbásilicanos ómnis abigit ín forum*, unde haud inepte coniicias exstitisse quondam nomen *basilicanus*, — id quod multis etiam declinationibus similibus satis probatur, — cuius nobis casu et fortuito nullum praeterea exemplum servatum sit. Propono igitur qua in tali re par est cautione scribendum: *dixit tricolum tale qualia sunt quae basilicani sectantur.*

Contr. VII. 16,2. p. 299,17: *proiectus in mare quidquid post exilium et naufragium vel facit vel patitur ab omni foedere vitae communis abstractus, poenarum eius pars, non et nequitiae opus est.* Schultingius, cui haec scriptura debetur, sententiam sine dubio recte interpunxit eiusque vim fere perspexit; tamen aliquo modo eam pervertit, cum *et* scriberet pro eo quod in codicibus exstat *est*. Iusta reique accommodata ἀντίθεσις tum demum fiet, si deleveris voculam *est* ex fine enuntiati per errorem huc delatam.

Contr. VII. 21,24. p. 352,6: *Nepos Licinius illi non cessit; dixit enim: sub illa subsellia transite servi, transite liberti, empta cognatio.* Aperte corruptum est *sub illa subsellia.* — an sub subselliis latitare iubentur miselli illi homines? — Sensit hoc Schultingius, sed cum nimis haerens in traditis apicibus scripsit *subito*

---

[1]) Cfr. p. 390,1 *sequitur autem hoc usque in forum declamatores vitium, ut necessaria deserant dum speciosa sectantur.*

[2]) Cfr. Gloss. Car. Labbaei, Lut. Par. MDCLXXIX. p. 21.

in illa, plane otiosum intulit vocabulum. Simpliciter erat scribendum: *dixit enim (in) illa subsellia transite. . .* Post *enim* excidit *in*, contra ex *subselliis* male praeceptum est *sub*. Cfr. p. 477,27 *transibo in subsellia tua.*[1])

II.

Aliud est errorum genus, quo in Senecae libris describendis nonnumquam peccaverunt librarii, situm in turbando vocum syllabarumve ordine. Complures iam loci restituto tantummodo vero ordine felici et certa coniectura persanati sunt. Si autem eiusmodi mendorum quae occurrunt exempla intentiore cura perscrutaberis, quod ad eorum originem attinet duo videbis discernenda esse genera. Etenim archetypi scriptor aut primum aberrantibus oculis transiluit quaedam, quae deinde ab ipso vel simpliciter subiecta loco non suo servarunt vel superscripta additave in margine suo Marte falso loco in textum inseruerunt posterioris temporis librarii,[2]) — aut complura verba legendo complexus in scribendo memoria deceptus est verborumque ordinem ipse invitus turbavit, quem turbatum posteriores secure propagarunt.[3]) Pauca, quae mea sententia huc pertinent, sed criticorum sollertiam fugisse videntur, iam coniuncta proponam.

---

[1]) Paullo post (v. 9) ubi codd. habent *subripuit sed*, miror Kiesslingium Gronovio obtemperantem edidisse *corripuisset*. Verissimum est *subripuisset*: dixit enim stultus rhetor sensum illum Cestii (§ 2) tamquam suum, fortasse etiam speravit se in furto non deprehensum iri. Cfr. p. 27,15 *non subripiendi causa, sed palam mutuandi, hoc animo, ut vellet agnosci.*

[2]) Quomodo ortus talis error latius serpserit, luculenter monstrat locus valde memorabilis p. 297,24. Scripsit Seneca *video quid velitis: sententias potius audire quam iocos. fiat: audite eqs.* Qui nostrorum codd. archetypon exaravit omisit *fiat*, deinde superscripsit vocabulo *audite*. Codd. AT librarii fideliter expresserunt archetypi memoriam ita $\overset{\textit{fiat}}{\textit{audite}}$; displicebat haec scribendi ratio cod. B librario, scripsit *audite fiat*, pessumdedit sententiam.

[3]) Exempli gratia cfr. p. 407,9 ubi, cum omnes codd. pleniores exhibeant *in quibus factum defendi non potest, excusari potest*, peropportune nobis succurrunt excerpta, quae, quod sententiae unice convenit, servaverunt *in q. f. defendi potest, excusari non potest.*

Suas. I. 16. p. 11,1 pervulgantur haec: *Ex Graecis declamatoribus nulli melius haec suasoria processit quam Glyconi; sed non minus multa magnifice dixit quam corrupte*, — quae prava esse sententiarum conexu evincitur. Quae enim post *sed* sequuntur restrictionem (bona venia tua dixerim!) quandam praecedentis enuntiati continent; atqui demitur aliquid de laude universa: scribi igitur debet: *sed non minus multa corrupte dixit quam magnifice.*

Suas VI. 5. p. 36,20 in verbis Fusci Arelli alloquentis Ciceronem an Antonium deprecetur deliberantem locus invenitur valde contortus, ad quem expediendum complures iam viri docti sese accinxerunt, non tamen, ut videtur, rem profligarunt. Sunt secundum Kiesslingium verba haec: *Non te ignobilis tumulus abscondet; idem virtutis tuae qui finis est mortalium. humanorum operum custos memoria*[1]) . . . *in omnia te saecula sacratum dabit eqs.* — *Mortalium*, quod primus protulit Gronovius, — codd. habent *immortalium*, — meum sensum si consulo, prorsus ineptum est: quis enim, si cui aeternitatem promittat, isto modo loquetur de *mortalibus?* Quod Suas. VII. 8, quem locum ille laudat, dicitur *quoad humanum genus incolume manserit*, apparet rem esse plane diversam. Porro quod *humanorum operum* custos appellatur memoria, nimis inane reique parum accommodatum est adiectivum. Ut autem hoc ipsum *humanorum* repudiamus, ita ne priore quidem loco cum Schultingio (not. p. 43) tutabimur *immortalium.* Urendo et secando opus esse ratus Madvigius scripsit: *idem virtutis tuae (vitae)que finis est. Immortalium operum eqs.* Sustulit igitur, ut alia praetermittamus, voculam *humanorum*: at est hoc emendandi genus in his libris valde lubricum; perpauca glossemata certis argumentis detecta sunt,[2]) neque ego hic glossema agnoverim. Bene autem hoc sensisse

---

[1]) Quae interiecta sunt verba, ea ita legenda arbitror: *quae magnis viris vita perpetua est*, (codd. *que manus viri vita perpetua est*); non enim opus est cum Kiesslingio praeterea *vitam perpetuat* scribere aut alios audaciora molientes sequi.

[2]) Sic recte p. 45,5 *morte* a Madvigio, p. 157,21 *praelium* a Vahleno deleta. Ipse talis interpolationis exemplum satis certum non repperi.

mihi videtur vir summus coniungendum esse *immortalium operum.*[1]) Iam vero apte Schultingius l. l. attulit Cic. in Cat. III. 11,26 *Memoria vestra, Quirites, res nostrae alentur eqs.* Quid? nonne optime constat sententia, si scribimus *idem virtutis tuae qui finis est Romanorum. Immortalium operum custos memoria eqs.*? Transposita sunt duo vocabula, quorum alterum praeterea levem maculam traxit.[2])

Contr. II. 9,2 p. 153,24 omnes, quod sciam, editores acquieverunt in hac scriptura: *Rufi Vibii. Habendos esse liberos is quoque iudicat, qui non libentissime habet.* At extrema verba sententiam pervertere mihi videntur, augetque scrupulum, quod in duobus optimis codd. non exstat *habet*, sed *habent.* Seneca, ni fallor, scripsit: *habendos esse liberos is quoque iudicat, qui libentissime non haberet,* — scil. si sine liberis vivere posset, quamquam idem iam tres abdicavit. Ceterum ipsam particulam *non* persaepe a librariis suo loco motam esse constat. (velut cfr. p. 405,3.)

Contr. II. 14,7. p. 220,2: *Cestius aiebat adulescentis partem diligentius colorandam: facere illum rem non improbam; nam ita patri non remittere quod a patre ipsi remissum sit. Itaque sic narravit eqs.* Ita Kiesslingius. Pro *rem* in codd. AB notabili, sed manifesto erorre exaratum est *regem.* Valde autem dubium videtur illud *nam ita,* quod a Schultingio effectum est; codd. habent omnes *non ita.* Atque turbatum aliquid hoc loco esse sane vel hebetissimus sentit. Multis mirisque modis torserunt se viri docti, ut veram lectionem assequerentur;[3]) quorum conatus ego singillatim refutare supersedeo: nemo enim adhuc senten-

---

[1]) Cfr. Liv. I. 16,1 *his immortalibus editis operibus.*

[2]) Emendaturus nunc eram Contr. I. praef. 17. p. 64,4, cum vidi iam olim recte editum esse; — tamen paucis rem immerito neglectam attingam. Nihil enim est quod nunc editur *itaque oculorum et aciem contuderat et colorem mutaverat.* — *Colorem mutare* hic, ut saepius, ponitur de pallescente homine, id quod optime confirmatur illis, quae Plinius (N. H. XX. 14) narrat, ipsius Latronis discipulos praeceptoris pallorem affectantes cumino usos esse. Itaque prius *et* ponendum ante *oculorum.*

[3]) Olim vulgo omittebatur *non,* quod traditur ante *remittere*; Faber praeterea expunxit alterum *non,* quod exstat ante *improbam,* addens: ‚nisi forte rem improbam interpretemur pro valde proba,' — quod cum legi risum vix tenui, etsi ille aliquid certè veri sensisse videtur; contra Fabrum vul-

tiarum progressum penitus cepisse videtur. Verum enimvero tenendum est ante omnia ipsum Cestii colorem nullo modo posse initium capere a verbis *facere illum* . . , sed demum a verbis *itaque sic narravit*, priora autem illa causam continere, cur diligentius colorandam adolescentis partem existimaverit Cestius Atqui est eo diligentius coloranda aliqua pars, quo minus exspectare licet iudices per se ei fauturos esse: sic nostro loco Cestius sine dubio filii luxuriam patri imputare studet nullam aliam ob causam, nisi quod per se iure possit quispiam aequum non putare, si quis alteri non remittat idem quod ab illo ipsi remissum sit. Quod si recte disputatum esse concesseris, non gravaberis hanc a me accipere emendationem: *facere illum rem non ita probam: patri non remittere quod a patre ipsi remissum sit.* Orta est depravatio hoc modo: qui archetypon confecit vitiose exaravit *non inprobam* intellectoque errore superscripsit *non ita*, posteriores autem librarii, ut etiam alibi factum vidimus,[1]) utrumque servantes alterum alteri postposuere.

Contr. X. 34,11. p. 506,18: *Producitur senex nobilis, flens, respiciens patriam: placuit isti vultus; habuit aliquid Promethei simile etiam ante tormenta.* Codd. exhibent *etiam ante torquam*; quod editur *ante tormenta* est interpolatio pervetusta, ex excerptis, ut videtur, petita (p. 524,1), quam non debebant tenere novissimi editores. Etenim corruptelae origo tum demum elucet, si scribitur *etiam antequam torqueretur.* Est hoc sane levidense, sed consulto attuli etiam propterea, quod video id comprobari scriptura correctoris cod. T *antequam torqueat*, quae, ut per se perversa est, ita ex vera illa facillime nasci potuit. Sic confirmatur, ni fallor, hoc quoque loco id, quod H. J. Muellerus recte observasse videtur,[2]) haud ita raro correctorem illum codicem aliquem, non suum ingenium secutum esse.

Contr. II. 14,11. p. 222,8 in colore Argentarii, qui philologis multis multas creavit molestias, integrum colon transponendum esse Kiesslingio persuasit W. Muellerus: quam ob rem hic

---

gatam lectionem satis inscite defendit Gronovius; Schultingius, ut vidimus, scribendum censuit *nam ita patri non remittere*; O. Jahnius denique apud Bursianum proposuit *non idem patri remittere.*

[1]) Cfr. etiam Kiessl. Neue Beitr. p. 4.

[2]) Cfr. Fleckeiseni ann. vol. CVII. p. 547.

potissimum appendicis loco expromemus nostram de toto illo colore sententiam, diversam et ab illorum et a ceterorum criticorum rationibus. Edidit autem Kiesslingius receptis certissimis quibusdam emendationibus, quarum auctores qui sint ab ipso requiratur, aliquanto politius quam antea factum erat haec: *Argentarius hoc colore declamavit: duo luxuriantur (una) in domo: alter iuvenis, alter senex; alter filius, alter pater; uterque aeque licenti cultu per publicum incedit. alter vobis hoc ait: concessis aetati voluptatibus utor et iuvenali lege defungor; bona ego aetate coepi; simul primum hoc tirocinium adulescentiae quasi debitum ac solemne persolvero, revertar ad bonos mores. id facio quod pater meus fecit, cum iuvenis esset. negabit? qui qualem causam habeat videritis; faciat etiamsi non quod oportet fieri, at quod solet. Alter ait: scio me novum civitatis miraculum incedere, luxuriosum senem, sed hoc castigandi genus commoventius visum; ut emendarem filium, ipse peccare coepi. Ita si avos viveret, ut nemo in domo luxuriosus esset, tres luxuriosi fuissetis.* Atque W. Muellerus quidem verba *id facio . . . negabit* illuc ubi nunc leguntur transposuit; in codd. exstant post *defungor.* At vero ista ratione, si quid video, dispescuntur, quae arte coniuncta sunt. Optime procedunt haec: ‚iuvenis ego luxurior: iure luxurior, nam et pater meus iuvenis idem fecit: sed si aetati satisfecero, ad bonos mores revertar.‘ Et habemus hoc modo etiam probam clausulam, admissa transpositione sententia claudicat. Cur igitur rationem illam iniit Muellerus? An putabat istis verbis aptius adiungi illa *qui qualem causam habeat . . solet*? In his, quae sane sicut eduntur intellegi omnino non posse contendo, cardinem rei verti equidem putaverim. Ne multa: sic scribendum et distinguendum arbitror: *Alter vobis hoc ait: ‘concessis aetati voluptatibus*[1]*) utor et . . defungor; id facio quod . . fecit . . negabit? bona ego aetate coepi; simul . . persolvero, revertar ad bonos mores.’ qui*[2]*) qualem causam habeat videritis: facit*[3]*) etiamsi non quod oportet fieri, at quod solet. Alter ait: ‘scio me . . incedere . . sed . . ut emen-*

[1]) Sic Bursianus; codd. *opus.* An verius *otiis*?

[2]) Scil. adolescens.

[3]) Quod codd. habent *faciat* proclivi errore inde ortum est, quod modo praecesserat *habeat.*

darem filium ipse peccare coepi.' ita si avos viveret . . tres luxuriosi fuissetis?[1]) Res igitur haec est: defendentes sese facit rhetor filium et patrem, simulque suum ipsius interponit iudicium: excusat filium, patrem irridet. — Antiquiorum criticorum curas, ne nimis prolixa in loco prolixo fiat disputatio, percensere nolo; sed suadeo, si qui discere velint, qualia portenta olim in his libris concocta sint, ut evolvant edit. Gronov. a. MDCLXXII. p. 212.

III.

Transeamus nunc, si placet, ad tractandam materiam ut multo uberiorem ita et graviorem et difficiliorem, ad supplendos orationis defectus. Etenim si quis vel paucas Annaeanorum librorum pagellas perlustraverit, intelleget, quam saepe homines ei, a quibus nobis nunc omnis illorum librorum memoria repetenda est, socordius munere suo fungentes ita peccaverint, ut nonnulla, quae in exemplari suo perscripta erant, plane omitterent, pellecti plerumque earundem similiumve litterarum vel syllabarum repetitione. Atque saepenumero quidem peropportune accidit, ut certe non omnes librarii dormitaverint possintque alia ex aliis codicibus reciperari: saepe quae in codice A omissa sunt suppeditat codex B, geminus eius frater; saepe hic ex illo suppleri potest; rarius fit, ut plura praebeat duobus illis codex T (vel V); contra persaepe omnibus plenioribus codicibus subveniunt excerpta, tenues illae alterius cuiusdam codicum stirpis reliquiae. Talia autem diligenter attendenda sunt, ut, quid in eo genere factum sit fierique potuerit, discamus assequamurque normam quandam, qua ibi uti possimus, ubi ab omnibus membranis destitutis solius ingenii ope res administranda sit. Atqui licet plurima iam ingeniose et sollerter viri docti redintegrarint, suppetit etiamnunc silva eiusmodi vitiorum emendatricem manum desiderantium. Quibus ut pro

---

[1]) Ad illustrandam argumentandi rationem orationisque formam quae hac interpunctione statuitur, ex multis cfr. haec: p. 15,6. p. 94,23. p. 101,25. p. 345,18. p. 425,8. p. 440,8.

virili parte medelam adhibeam, iam elaborabo. Ceterum incedere me in solo satis lubrico probe scio; tamen spero memorem Catoniani illius ‚rem tene, verba sequentur!' certe non mera somnia pro ipsa veritate me venditaturum neque sanctissimam illam nesciendi artem nimis saepe temere violaturum.

Proficiscamur a perpendendis locis nonnullis, qui nisi singulis quibusdam vocabulis truncis recte suppletis persanari nequeant.

Contr. I. 2,17 p. 89—90 Kiesslingius ex Ribbeckii coniectura edidit: *Fuscus pro puella colorem hunc introduxit: voluerunt di immortales in hac puella vires suas ostendere, ut appareret quam nulla vis humana divinae resisteret: (nil) magis*[1]) *putaverunt posse miraculo esse (quam) in captiva libertatem, in prostituta pudicitiam, in homicida innocentiam.* Emergit ita sane aliqui sensus, sed vide, quam licenter duo vocabula diversis locis inserantur. Immo scribendum videtur: *quam nulla vis humana divinae resisteret maiestati: putaverunt posse miraculo esse eqs.* Cfr. p. 381,21 *Violatorum numinum maiestate compulsa est, ut mori et vellet et deberet et non posset.*

Contr. VII. 20,12. p. 340,5: *Gravis scolasticos morbus invasit: exempla cum dixerunt, volunt illa ad aliquod controversiae thema redigere;* — deinde narrat Seneca Musam rhetorem inepte notissima quadam de Croesi filio fabella usum esse. In verbis illis quae exscripsi mendum nondum detectum inesse et pro *exempla cum dixerunt* utique reponi debere *didicerunt*, qui rem ipsam spectaverit, libenter, puto, concedet.

Contr. X. 34,22. p. 511,15: *Saepe solebat* (sc. Craton) *apud Caesarem cum Timagene confligere, homine acidae linguae et qui nimis liber erat: puto quia diu non fuerat. ex captivo cocus, ex coco (lecticarius, ex) lecticario usque in intimam amicitiam Caesaris felix, usque eo utramque fortunam contempsit eqs.* Primum monendum est Kiesslingium operam perdidisse, cum non contentus bona codd. TV lectione *in amicitiam* ex iis, quae in cod. A agnoscere sibi visus erat, efficeret *in intimam amicitiam*; demonstravit enim H. J. Muellerus[2]) codicis A lectione diligentius exa-

[1]) In codd. AB est *macis*.

[2]) Cfr. Fleckeis. ann. CVII. p. 540.

minata meram ibi subesse dittographiam *inaminamiciciam.* Mihi autem alium scrupulum hic locus iniecit: prorsus absonum est illud *felix.* Pro quo quid restitui debeat dubium non videtur: scripsit, nisi egregie fallor, Seneca: *ex lecticario usque in amicitiam Caesaris enixus usque eo . . contempsit . .* Semel orto *enix usque* fieri fere non poterat quin *enix* abiret in *felix.* Similiter dixit Sen. de brev. vit. XX. 1. *quosdam antequam in summum ambitionis eniterentur, inter prima luctantis aetas reliquit,* et Vell. Pat. II. 127,1 *novitas familiae haud obstitit, quominus ad multiplices consulatus triumphosque et complura eniterentur sacerdotia.*

Eorum porro locorum, in quibus integrae voculae addendae nobis videantur, primus sit qui habetur Suas. I. 4. p. 4,2: . . *de Oceano tamen dubitant utrumne terras velut vinculum circumfluat,*[1]) *an in suum colligatur orbem et in hos per quos navigatur sinus quasi spiramenta quaedam magnitudinis exaestuet.* Quid sint *spiramenta magnitudinis* mihi certe non liquet. Sine dubio excidit adiectivum, neque video quid aptius sit quam: *quasi spiramenta quaedam (amplae) magnitudinis.*

Suas. III. 5. p. 26,16: *Solebat autem Fuscus ex Vergilio multa trahere, ut Maecenati imputaret: toties enim pro beneficio narrabat in aliqua se Vergiliana descriptione placuisse; sicut in hac ipsa suasoria dixit: 'cur iste inter eius ministeium placuit? cur hoc os deus elegit? cur hoc sortitur potissimum Pythius' — quo tantum non impie aiebat se imitatum esse Vergilianum 'plena deo'?*[2]) In quo loco ut de singulis recte iudicari possit, quaerendum primum est, quale Vergilianum quali modo imitatione expresserit Fuscus. Kiesslingius margini appinxit: ,Verg. Ecl. 59?' At vero hoc ne tam dubitanter quidem facere debebat: quid enim,

---

[1]) Non satis considerate de hoc vocabulo dubitavit Bursianus (spicil. crit. p. 4) pro eoque substituit *cludat.* Cum codd. AB exhibeant *pluat,* cod. V cum apographis *circumpluat,* apparet, quoniam hoc ab interpolatore fictum esse nequit, in archetypo exstitisse *circumpluat,* in codd. AB autem post *vinculum* omissum esse *circum.* Ceterum Kiesslingius, si modo rationem suam constanter sequi voluit, exarare debebat hoc ita: *(circum)fluat.*

[2]) Apparet potius sic distinguendum esse, ut post *Pythius* ponatur interrogationis signum, post *plena deo* punctum. — Liceat mihi occasione oblata rectius interpungendo emendare Contr. I. praef. 20. p. 65,13 ad

quaeso, proficimus collato illo versu, quem primus, ni fallor, Schottus adhibuit,

Ab Iove principium Musae: Iovis omnia plena?

Multo rectius olim, ut Nic. Faber iudicaverat, ita iudicavit ipse Kiesslingius (Neue Beitr. p. 19—20), locum illum Vergilianum nunc quidem non exstare, fuisse autem ipsa eius verba *plena deo* demonstrari et verborum collocatione et Gallionis festiva illa usurpatione et Ovidii aperta mutuatione. Quod si est, tollemus fallacem notam atque tenebimus imitatum esse Fuscum hoc ipsum *plena deo*, praeterea nihil. Nihil autem agit, — ut iam ad id quo tendimus veniamus, — si quis ipsius Fusci verba quibuslibet aliis Vergilianis locis allatis emendare studeat. Ipse ait illud potissimum sibi ante oculos fuisse: nos licet iudicemus valde liberam esse imitationem, aliena ei obtrudere non debemus. Quam ob rem emendaturi haud dubie corrupta verba *cur iste inter eius ministerium placuit?* non sic argumentabimur, ut fecit Schultingius (not. p. 34): ,Nihil video in his Virgilianum'. Cum quo aliquo modo consentit Bursianus (spic. crit. p. 5), qui, postquam recte mendum patefecit, scribendum dicit vel *in triste* vel *in foedius*, et addit: ,utrumque enim Vergilianum est; cf. Aen. VI, 223 *triste ministerium* et VII, 619 *foeda ministeria*'. Iam vero per se utrumque a tradita memoria tanto opere recedit, ut nullam habeat hac ex parte probabilitatem, estque *iste in triste* *κακοφωνία*, quam delicatae rhetorum aures sine dubio respuebant. Ego Fuscum credo dixisse: *cur iste (in) interius ministerium placuit?* Cfr. Liv. XXXXII. 17,4 *spem amicitiae interioris.* Tac. Hist. I. 2 *interiorem potentiam.* — Eadem praepositione *in* inserta Suas. I. 15. p. 10,2 legendum puto *nemo illorum potuit tanto spiritu dicere quanto Pedo, qui (in) navigante Germanico dicit eqs.* Tradita et pervulgata lectio mihi Latina non videtur[1]), siquidem, — de quo vix sanus quisquam dubitabit, — Pedo hoc epicum carmen, cuius

---

hunc modum: *ipse quoque hoc futurum provideram, ut, memoriae eius quotiens occasio fuisset, difficulter avellerer.* Novissimi editores ut priores post *eius* comma ponunt, quod si fit, necessario scribendum etiam est *a memoria,* sicut olim vulgabant.

[1]) Sic Contr. I. 7,5. p. 122,4 *tunc primum egere queritur iste, cum manus meas vidit,* ut Latinum fiat, scribendum *egere (se) queritur* . . .

notitiam uni Senecae debemus, non composuit, dum ipse Germanicus Oceanum navigat.[1]) Cfr. p. 409,25 *dixit in Flaminino*, similiterque p. 411,5. 507,14. — Atque nescio an etiam Contr. I. 7,14. p. 127,15 *et adiecit, quod aiebat praeceptore suo dicente summa cum admiratione exceptum, illud Homeri Priamo aptum eqs.*, in quo iam W. Muellerus haesit, restituendum sit: *illud Homeri (in) Priamo dictum.*

Suas V. 2. p. 31,22: *Haec ego tropaea de (te) posui, haec in totius conspectu Graeciae statui, ne quis timeret Xerxem minantem.* Codicum scriptura *de posui* nihili est, *deposui*, quod quibusdam editoribus placuit, repugnat Latinitati. Quare Kiesslingius de ipsius coniectura inseruit *te*; sed idem praef. p. XII παλινῳδεῖ hoc modo: ‚nunc me paenitet quod coniecturam fallacem *de te posui* certissimae Schultingii emendationi: *ideo posui* praetuli.' Verumtamen ferventius egisse mihi videtur: etenim, ut quod ipse proposuit ferri nequit (non habet illud *te* quo referatur), ita Schultingii *ideo* aperte falsum propterea est, quod pessumdat rhetoricam orationis conformationem. Habemus ἀναφορὰν, quam grammatici vocant; haec flagitat, ut aut utroque aut neutro loco ponatur *ideo*. Immo rectam viam ingressus est Kiesslingius, est autem oratio ita resarcienda: *haec ego tropaea de (Persis) posui eqs.*

Suas. VII. 8. p. 53,4: *Arelli Fusci patris. Quoad humanum genus incolume manserit, . . . admirabile posteris vigebit ingenium et uno proscriptus saeculo proscribes Antonium omnibus.* Demiror neminem sensisse post *ingenium* restituendum esse *tuum*, quod hic non minus necessarium est quam infra v. 19.

Contr. I. 2,10. p. 86,15 non possum a me impetrare, ut adstipuler Bursiano, qui, cum libri exhibeant: *castigationem ex pontificis maximi meruerat sacerdos, si te e lupanari redemisset*, expungere nos iubet voculam *ex*. Rationi magis convenit expleto defectu scribere: *ex pontificis maximi (imperio) meruerat sacerdos eqs.*

Contr. I. 2,20. p. 91,20: *Multum potest ad flectendum quoque pudici animi propositum hostis, gladius: non succumbet, immo si*

[1]) De qua navigatione cfr. Tac. ann. II. 23 sq.

opus fuerit pudicitiam vindicabit. Hoc loco primum non possum non improbare Gronovianam coniecturam receptam a Kiesslingio, de qua scribitur *ad flectendum quoque* pro eo quod omnes codd. praebent *ad rectum quoque.* Praeterquam enim quod illud per se displicet, — male enim post *flectendum* ponitur *quoque*, quod poni debebat post *pudici*, — optime sese habet tradita memoria. Sunt sane ambigua verba, tamen quam in partem accipienda sint, res ipsa satis dilucide docet. Vult profecto Silo Pompeius, etiam pudicum et honestum animum fere perturbari et frangi saevi hostis adspectu. Deinde eidem Gronovio obsecutus est Kiesslingius parum probabiliter coniicienti *hostis, gladius* pro tralaticio *hostis gladio.* Atque Bursianum certe verum non invenisse concedo: qui cum ederet *multum potest adrectum quoque pudici animi propositum: hostis gladio*[1]) *non succumbet eqs.*, minus attendit, — ne attingamus alia, — totius orationis tenorem. Ita enim persequitur Pompeius quam proposuit figuram, ut depingat semper aliquod periculum, deinde vero exponat, quomodo se gesserit puella (cfr. v. 10 et 12). Mihi veri simillimum semper visum est: *multum potest ad rectum quoque pudici animi propositum hostis (cum) gladio: non succumbet eqs.*

Contr. I. 3,11. p. 99,21: *Othonem Iunium patrem memini colorem stultum inducere, quod minus ferendum est, quod libros colorum edidit.* Miro consensu olim vulgabatur hodieque circumfertur *quod minus* pro eo quod exstat in omnibus codd. *quominus.* Enimvero perspicuum est propter ipsam orationem inde efficiendum fuisse: *quo(d eo) minus ferendum est, quod . . edidit.* Cfr., si tanti est, p. 64,7 *quod eo magis in illo mirabile videri potest, quod . . scribebat* et p. 349,26 *quam eo magis desidero, quod . . afui.*

In Contr. II. 9 proponit Seneca explicationem vegetissimam Fabiani Papirii invehentis in pestiferam divitiarum vim luxuriaeque pravitatem, contra laudantis sobriam paupertatem. Est autem tota haec pericopa tam misere corrupta, ut nesciam an nihil in hoc opere sit traditum corruptius. Nonnulla recte emendata sunt, multo plura sananda restant: nos, etiamsi in prioribus

[1]) Idem postmodo (spic. crit. p. 7) hanc vocem et hic servavit et ante *vindicabit* inserendam esse suspicatus est.

minuta quaedam menda corrigere posse nobis videmur, nunc unam tantummodo rem, quae huc maxime pertinet, tractabimus. Etenim § 13. p. 159,16 optime restituta sunt haec: *quis enim tam pravis oblectare animum imitamentis possit, si vera cognoverit?* sequuntur haec, quae manca esse iam pridem intellectum est: *Videlicet ut infantibus quae tangi comprehendique manibus aut sinu possunt.* Quod nemo[1]) ausus est hiatum explere, inde, ut mea fert opinio, factum est, quod plura desiderari augurabantur viri docti. Atqui possumus facili opera praesens remedium adhibere; insere post *possunt* unum vocabulum *placent*: nihil amplius desiderabitur, constabit verborum structura, constabit sententia, quae eadem aptissime excipietur sequentibus verbis cum Haasio sine dubio sic constituendis: *nam magna non capit exigua mens.*

Contr. II. 11,18. p. 191,16: *Eadem figura declamavit et Hispo Romanius, sed transiit mollius: scio quid responderi possit mihi: facile est domestico iudici satisfacere; videro te, cum ad raptae patrem veneris.* Haec neque ego intellego neque intellexisse videtur Kiesslingius; ipse in adnotatione haec proposuit: *ab raptae patre venero,* quae fateor me non magis intellegere. Dilucida fiunt omnia, si ita scribitur et distinguitur: *scio quid responderi possit mihi: 'facile est domestico iudici satisfacere: videro* (*de*) *te, cum ab raptae patre veneris,'* — id est: cum iudicaverit de te raptae pater. Cfr. Ter. Hec. IV. 4,78 *post de matre videro.* — Ut hic *ad* pro *ab* scriptum est, ita contra p. 181,20 pro *ad alienam* cod. B. exhibet *ab aliena.*

Paullo post § 20. p. 192,4 habemus locum a Kiesslingio aliquanto melius quam a prioribus distinctum scriptumque, sed tamen nondum ad amussim emendatum: *Cestius* (*ex*) *altera parte hoc colore usus est, quia priorem rogasset raptae patrem: suspensum esse* (*nolui*), *volui statim illum securum esse de me; queritur eqs.* Primum offensioni mihi est *quia,* ex quo leni mutatione efficiendum est *quare.* cf. p. 348,13 *Latro colorem a fili parte, quare non vitiasset*

---

[1]) Video nuper tamen periculum fecisse Sanderum (in Fleckeis. ann. CXVII. p. 789); qui quod nobis obtulit *videlicet ut infantes, qui quae . . possunt (arripiunt). an magna eqs.,* si simpliciter repudiabimus, nemo fastidii nos incusabit.

servos, hunc fecit. p. 513,7 *Gargonius multo stultius, quare Promethei Parrhasius supplicium pinxisset.*[1]) Deinde vero desideratur in ipso colore subiectum, ad quod referri etiam possit *illum*. Quod quidem reciperamus simpliciter repetito praecedenti vocabulo (*patrem*) *suspensum esse* (*nolui.*) *volui statim eqs.*[2])

Contr. II. 12,4. p. 196,10: *nemo sine vitio est: in Catone moderatio, in Cicerone constantia, in Sulla clementia* (*desideratur.*) Vulgo hic omnium codd. lectio manca suppletur adiecto *desideratur.* Cui additamento recte diffisus Schultingius (not. p. 166) aliam viam frustra quaesivit. Fallor, aut Seneca dedit: *nemo sine vitio est:* (*deest*) *in Catone eqs.* Cfr. p. 66,5 *nec deerat in illo* (hoc fundamentum, sc. subtilitas).

Contr. II. 14,3. p. 217,12: *ostendi tibi tua vitia quae in te non videbas.* Pleniores codd. hic omnes exhibent *tibi lumina q; in te*, id quod videlicet sensu caret. Longe aliud praebent excerpta: *luxuriam quam in te*, quod olim vulgo receptum est, potestque profecto primo obtutu blanda specie fallere. Ego ut verum putem adduci nequeo: constat sane excerpta saepissime omnibus codicibus plenioribus lucem afferre, verumtamen non minus saepe is, qui haec frusta in usum suum collegit, ingenio sat pingui orationis formam et ipsa verba mutavit; cautione autem vel maxime opus est, cum, — ut fit nostro loco, — discrepantiae causa et origo non patet. Invita Minerva coniecerunt Schultingius *plurima quae* et Haasius *luxuriae damna quae*, et ne Kiesslingius quidem, qui audacius scripsit *tua vitia quae*, quaestionem absolvit. Mihi persuasum est sub *lumina* latere *crimina*, sententiamque universam sic esse reparandam: *ostendi tibi crimina* (*tua*) *quae in te non videbas.* Fac autem animadvertas, ut apud alios posterioris aevi scriptores, ita in his libris persaepe *crimen* idem valere atque *culpa, scelus, flagitium.* Sufficiet haec attulisse: p. 179,12. p. 195,26. p. 196,9. p. 215,20. p. 477,13 (qui locus nostro imprimis consimilis est). p. 488,21.

---

[1]) Cum ceteris locis, ubi particula *quare* sic ponitur, recte adhibitus sit modus qui vocatur coniunctivus, puto etiam Contr. II. 13,14. p. 211,3 *Quaeris quare non peperit?* restituendum esse *pepererit.*

[2]) [Vahlenus accepta mea emendatione aliquanto tamen simplicius et probabilius restituendum censet: *raptae patrem: (nolui patrem) suspensum esse, volui statim eqs.*]

Contr. II. 14,13. p. 224,1: *placet vobis frugalitas mea, quod patrimonium servavi, quod acquisivi, quod uxorem mature duxi, semper delexi, quod ab omni me tutum fabula praestiti.* Cur hic locus suspicionem mihi moveat, causa est haec: videtur Hispo Romanius concinnitatis cupidus deliberato consilio orationem per minutas particulas concidisse; quod si est, efficitur reponendum etiam esse: *(quod) semper dilexi.*[1]) Iam vero, ne cui scrupulus resideat, addenda pauca de illo *quod acquisivi.* Est hoc, ni fallor, secundum anaphorae membrum, non suspensum ex praecedenti, valetque *quod* plane idem hic atque ceteris huius pericopae locis; puto enim *acquirendi* verbum absolute ita positum esse, ut intellegatur acquiri rem familiarem. Cuius usus exempla apud posterioris temporis scriptores, Quintilianum, Juvenalem, Suetonium, obviam fiunt, ex quibus unum certe ad illustrandum nostrum locum apprime appositum proferre iuvat: exstat in Declamationum, quae sub Quintiliani nomine feruntur, corpore (CCCII extr.): *Quomodo postea vixit? quam frugaliter acquisivit? quam parce? quam laboriose?*

Exc. Contr. IIII. 1. extr. p. 262,3 (qui locus, ut totius libri reliquiae, solis excerptorum codd. servatus est): *Festo die sodales amicique mecum, quorum unus: 'quid hunc miserum perire patimur?'* Apparet verbum, quod qui excerpta confecit omisisse non putandus est, absumptum esse antecedenti *noverant*, ut fuerit: *(Erant) festo die eqs.*

Contr. VII. 21,11. p. 346,18: *hoc quod obicio qui in pluribus fecit, occisus est.* Desidero hic obelum. Unum servum antea plures vitiasse nusquam commemoratur, infringeretque filius ipse ita quodammodo accusationis vim. Res ipsa fidem facit scribendum esse: *hoc quod obicio qui (tyranni) temporibus fecit, occisus est.*

In eadem porro Contr. VII. 21,16. p. 349,12 dubium non est, quin legendum sit: *Varius Geminus de abstinentia (servi) sic.* Addendum est *servi*, quoniam Varius Geminus minime disserturus de abstinentia est in universum. — Et ibidem § 20.

---

[1]) Admodum frequenter in anaphoris maxime sic lapsi sunt librarii. cf. p. 84,3 *(tantum)*, p. 88,24 *(ut)*, p. 336,21 *(dabo)*, p. 420,23 *(per)*.

p. 350,17: *Accius Postumius hoc colore usus est: nihil est, inquit, invidia periculosius; hanc sapientes viri velut pestiferam vitandam esse praecipiunt,* — quasi digito ostendit illud *velut* comparationem aliquam audaciorem institui: tenemus eam, si scribimus: *velut (bestiam) pestiferam.* . .

Contr. X. 31,1. p. 477,8: *Cum ad aetatem tuam pervenero, non contendam cum ullo, quamvis si exemplum tuum sequi voluero, etiam cum filio contendam.* Sic inde ab antiquissimis temporibus haec eduntur, nemo haesit, nemo dubitavit: et tamen pro certo affirmaverim scribi oportere: *quamvis (sit), si exemplum tuum sequi voluero, etiam cum filio contendendum.* Atque nescio an suffragentur huic emendationi etiam optimi codd. AB, in quibus scriptum est *conditendam.*

Diximus de talibus locis, in quibus insertis singulis vocabulis sublatisque interdum praeterea levioribus maculis veram lectionem fere restituisse nobis visi sumus: nunc placet disputare de paullo maioribus quibusdam orationis defectibus, quos adhuc aut omnino non deprehensos aut minus circumspecte expletos videmus. Contr. II. 9,9. p. 157,12 in sententiis Galli Vibii dictis a parte pauperis adolescentis, qui quominus diviti in adoptationem detur recusat, recte sensit Bursianus orationem hiare: *quare . . respondeo: ne auferam patri filium, filiis patrem.* Sed quod suspicatur Vibium fortasse dixisse *quare in adoptionem dari nolim quaeris,* neque verum videtur neque probabile. Etenim omnino non instituunt isto modo rem rhetores, si quem disserentem faciunt contra ea quae ab adversario obiici possint, sed potius ipsum adversarium loquentem inducunt; velut p. 349,19 *M. Cato, inquit, coloni sui filiam duxit uxorem. 'sed ingenuam.' respondeo: sed Cato.* Ego ut ipsa verba non praesto, ita aliquanto probabilius puto suppleri haec: *'quare (respuis divitias?)' respondeo: ne auferam patri filium, filiis patrem.* Cfr. p. 168,2 de Fabricio: *munera regia respuit.*

Paullo confidentius iudicari potest de Contr. II. 13,17. p. 212,12: *Passienus, vir eloquentissimus et temporis sui primus orator, hanc subtilitatem actionis non probabat: Latroni se adsentiri dicebat ideo, quia ista omnia semper tractanda per se essent, si haec mulier iniusti repudi ageret eqs.* Omnes codd. hic

exhibent *ideo questiones pertractande per se;* sententiam fere percepit Kiesslingius proboque quod demonstrativum pronomen intulit, — sed quorsum hae ambages? simplicius et verius, ni fallor, est: *ideo (quia istae) quaestiones pertractandae per se essent eqs.*

Contr. VII. 23,9. p. 365,23: *Quid est, inquit, quare velis optare nisi quod nuptias non vis? Hoc non tantum patimur, sed rogamus.* Mireris haec pro sanis venditari, postquam recte difficultatem sensit Schultingius. Nimirum apparet inter ista duo enuntiata neque pacem neque convictum intercedere posse: nuptias exigi docet orationis tenor. Schultingii correctio *hoc* in *has* mutantis sane satis rudis est neque satisfacere potest; ego malim: *Quid est, inquit, quare velis optare, nisi quod nuptias non vis? (an vis?) hoc non tantum patimur, sed rogamus.*

Periclitemur nunc, si possimus paullo rectius statuere, quam adhuc factum est, de Contr. VIIII praefatione. Quae cum in codicibus nostris in medio enuntiato desinat, etiamsi quis argumentum omnino non curaverit, patet truncum nos in manibus tenere. Itaque editores ad unum omnes in exitu duos asteriscos notandi defectus causa appinxere, quo signo et sibi et rei satisfactum putarunt.[1]) Age vero considera mecum ipsum argumentum. Dicit Seneca se Montanum Votienum quondam interrogasse, cur declamare nollet. Qui rationem redditurus quaerit, utram ille scire cupiat, honestam an veram; — tum pergit, si libris nostris fidem habemus, ita: *si honestam, ne male adsuescam. qui declamationem parat scribit non ut vincat, sed ut placeat eqs.* At pol, obsecro te, credibilene omnino est hanc ‚honestam' esse Montani rationem? Porro vide sis, quomodo ipse eam persequatur; ex. gr. p. 389,20 *cupit* (sc. declamator) *enim se adprobare, non causam;* p. 390,7 *stultitia eorum gratuita est*; p. 391,17 *nec ante in oratorem conroborantur quam multis perdomiti contumeliis puerilem animum scolasticis deliciis languidum vero labore durarunt.*

---

[1]) Omnium sententiam disertis verbis fere explicavit Joh. Schultingius (not. p. 262) sic: ‚multa deesse videntur. Id inde etiam colligo, quod Montanus Votienus adhuc honestam tantum causam dedit, cur non declamaret. et de ea nondum omnia est executus. Post quae de vera egisse videtur. vide praefat. init.'

Concedes, — concedendum enim utique est, — haec esse Montani ipsam veram rationem liberrime et cum quodam ardore exprومentis. Quod si est, p. 389,15 defectum orationis deprehendimus. Desideramus ‚honestam' rationem, nimirum talem, qualem proferre solet, si quis prorsus detrectare rationem non potest, veram autem reddere non vult ob eamque causam tergiversatur. Ipsa Montani verba nemo praestabit; ceterum non nimis multa intercidisse inde verisimile fit, quod veram rationem Montanus minime detrectaturus est, immo ad proferendam et quasi effundendam eam properare videtur. Quod si quaerimus, quid tandem dicere potuerit, apte conferatur consimilis libri III praefatio: ibi § 14 p. 245,17 Cassius Severus dicit *Diligentius me tibi excusarem, tamquam huic rei non essem natus eqs.*[1]) Sic nostro loco p. 389,14 potuit, sed nihil aio nisi potuit Montanus dicere haec: *utram vis? honestam an veram? si honestam, (quia huic rei me non natum puto; si veram,) ne male adsuescam eqs.*

Contr. VIIII. 25,3. p. 401,13 Porci Latronis verba in bonis codd. sic traduntur: *Facilius est ut qui alia meretrici dederit homicidium neget, quam ut qui hoc quoque dederit quicquam vidimirum numquam istud* (AB: *istum*) *mulierum oculis ostendi solet, aut ista iam saepe vidisset.* Post *quicquam* aliquid intercidisse cum nemo sit quin intellegat, percommode accidit, ut subsidio nobis sint excerpta, in quibus hoc certe enuntiatum plenum servatum est perscripta in clausula voce *negarit.* Iam vero de eo quod sequitur monstro *vidimirum* mirabilia protulerunt viri docti. Sanissimo iudicio sensit Bursianus latere hic vocabulum *nimirum* idque in textu posuit; sed hic quaestionem non absolvit: paullo plus in illa scriptura inesse et per se verisimile est et certis argumentis infra demonstrabimus. Longe aliam viam ingressus est Kiesslingius (Neue Beitr. p. 25), qui inde profectus, quod *nimirum* nusquam in his libris exstare videatur, asseverat scribendum esse *videlicet* simulque agnoscendum vocabulum *nimirum*, hoc autem tamquam glossema expungendum. Qua in re virum de Seneca

---

[1]) Cfr. etiam p. 257,22: (Pollio Asinius numquam admissa multitudine declamavit) *sive quia parum in illis* (sc. declamationibus) *habuit fiduciam sive . .* et p. 351,9 *ut scires illum huic materiae non minus idoneum esse, sed minus familiarem.*

optime meritum errasse pro certo habeo. Primum enim vidimus iam supra data occasione esse hoc emendandi genus in his libris valde lubricum. Porro quis, quaeso, unquam, ut interpretaretur *videlicet* adscripsit *nimirum*? Et quam mirificum in modum conflata forent ista duo vocabula! Tum vero manet difficultas maxima, quod totum illud enuntiatum neque cum praecedentibus ullo modo cohaeret neque per se intellegi potest. Similibus rationibus ductus atque Kiesslingius Sanderus[1]) spreto Bursiani *nimirum* censet a *numquam* vocabulo alium rhetorem incepisse et pro *vidimirum* scribit — *Vibi Rufi*, quod si cui placuerit, habeat sibi. Ego, ut tandem quid ipse sentiam aperiam, nihil arbitror esse, cur non agnoscamus vocabulum *nimirum* nemini ignotum, ad quod quasi ducit nos codicum scriptura, persuasum autem habeo et *vidimirum* nihil aliud esse nisi *vidi (ni)mirum* et maiorem quam vulgo autument esse orationis defectum, intercidisse verba quaedam quae terminentur vocabulo *vidi* et ad quae referri possit illud enuntiatum, quod a particula *nimirum* initium capit. Quae verba qualia fuerint satis probabiliter mihi videor investigasse. Scribendum propono: *Facilius est, ut qui alia meretrici dederit homicidium neget, quam ut qui hoc quoque dederit quicquam (negarit. 'Hominem', inquit, 'occidi' numquam) vidi'. nimirum numquam istud mulierum oculis ostendi solet, aut ista iam saepe vidisset.* Non puto opus esse fusius demonstrare hac demum ratione iustum effici sententiarum progressum, plene satisfieri codicum testimonio, apparere causam qua factum sit, ut nonnulla transiliret oscitans librarius. Hoc unum facere non possum quin addam, simillimo modo locutum esse Fulvium Sparsum p. 402,6 *'Hominem' inquit 'occidi numquam vidi.' alioqui Flaminino praetore omnia alia vidisti?* Ceterum ut illud supplementum in universum satis certum duco, ita possit quispiam dubitare, an pauciora verba sufficiant scribendumque tantummodo sit ut de re omnibus nota *'numquam vidi'*, sicut p. 402,10 Silo Pompeius dicit: *'numquam vidi.' adice si vis: 'nec alio praetore videre potero'.*

Contr. X. 33,2. p. 491,1: *Sua quoique calamitas tamquam ars adsignatur: huic recta membra sunt et si nemo (moratur)*

---

[1]) Quaestiones in Sen. Rhet. syntacticae. Part. I. p. 38.

naturae (nonne praestat *staturae?*) *proceritas emicabit: ita frangatur ut . . . reptet; huic extirpentur radicitus. huic [non] speciosa facies est: potest formonsus mendicus esse; reliqua membra inutilia sint eqs.* Miror primum me in his offendere: an non sunt insana illa *huic extirpentur radicitus*? quae quo putas referenda esse? Immo probatur anaphora satis dilucida inde a vocabulo *huic* novum miserorum cruciatuum genus inferri. Est ergo manca oratio, neque nimis difficile est divinare, quid commemoratum fuerit: *radicitus extirpare* vix poni potest nisi de oculis, et re vera de his in hac controversia saepius mentio fit; cf. infra v. 13 *illi erutos oculos*, v. 19 *eruantur oculi illius*, p. 492,23 *deme huic oculos.* Quod si attendimus totius orationis conformationem, possumus hanc fere commendare scripturam: *huic (eximii oculi sunt:) extirpentur radicitus.*

IV.

Discedamus iam, si commodum est, ex hac lubrica regione et transmigremus in provinciam aliqua ex parte tutiorem. Sumus enim nunc disputaturi de simplicioribus quibusdam scribendi erroribus, positis in similium litterarum syllabarum vocabulorum permutatione, quod genus, ut in omnibus libris calamo et atramento perscriptis, ita in eis, quibus ad refingendum Senecae opus nobis utendum est, latissime patet.[1]) Atque saepissime quidem librarii neque sententiam neque verba curantes quos litterarum apices in exemplari suo agnoscere sibi videbantur, eos religiosissime exaraverunt: unde fit, ut satis certo talia menda fere possint elui eorumque origo demonstrari, et frequenter una paucisve litteris mutatis ex monstris primo obtutu admodum mirificis proba et iusta emergat sententia; — cuius rei exempla luculenta infra occurrent. Verum quoniam homines illi certe aliqua sermonis Latini scientia imbuti erant, innumerabilibus locis accidit, ut,

---

[1]) Nonnulla id genus vitia per occasionem iam supra, dum aliud agimus, corrigere studuimus.

dum exemplar minus attente legunt, singula quaedam vocabula sibi nota agnoscere sibi viderentur ac memoria fallacibusque imaginibus decepti in describendo laberentur. Et serpserunt nonnumquam tales errores, — interpolationes quidam vocant, minus proprie, siquidem ratio abest et consilium, — paullo longius, ut vel unum conflaretur ex compluribus vocabulis vel comparerent voces a genuinis specie multum distantes. Conflatorum isto modo vocabulorum exempla in contextu disputationis invenientur, alterius illius rei certum et notabile exemplum statim proponam.

Contr. VIIII. 27,22. p. 429,6: *ipsum tyrannicidam induxit dicentem et colore*[1]) *usus est: non iussum se a patre, quia aiebat incredibile omnibus videri patrem coram tyranno caedi se iussisse, sed iniisse se tyrannicidi consilium, ut per hoc ad amicitiam perveniret, per amicitiam ad tyrannicidium.* Cur omisit hoc loco Kiesslingius tristem illam crucem? An putabat offensam haec nullam habere? At recte iam Gronovius mendum sensit scripsitque *patris caedendi* pro *tyrannicidi*: hoc enim primo loco praepostere poni manifestum est. Nostra aetate aliud prolatum est inventum: Konitzerus enim satis confidenter proposuit[2]) *sed iniisse se tyrannicidi consilium (et patrem cecidisse,) ut per hoc eqs.*, — quod probare nequeo ob id maxime, quod inconcinna fit et delumbatur argumentatio. Ego non dubito, quin rem quidem acu tetigerit Gronovius, in constituendis autem verbis parum probabiliter versatus sit. Vereor, ne temeritatis a quibusdam arguar, tamen affirmo scribi debere: *sed iniisse se parricidi consilium, ut per hoc amicitiam perveniret, per amicitiam ad tyrannicidium.* Filii facinus saepius in hac controversia appellatur *parricidium*; cfr. imprimis § 6 *Quid? tu tyrannicidium facere non potes, nisi in parricidio exercueris manus?* Substituit igitur scriba vocabulum, quod in hac tota controversia frequentissime legitur et vel in hoc ipso enuntiato occurrit, pro vocabulo aliqua ex parte simili, ceterum satis dissimili.[3])

---

[1]) Flagitat, ni fallor, Senecae consuetudo, ut scribatur *et (hoc) colore usus est.*

[2]) Quaestiones in Sen. patr. crit. p. 34.

[3]) Eiusmodi errore non perspecto Kiesslingius Contr I. 3,8. p. 98,10 edidit: *si voluntate superorum servata est, an in hoc, ut crudelius periret.*

Iam cetera, quae huc referenda videntur, ordine depromamus. — Suas III. 2, p. 24,23 *Cestii Pii. Vos ego adhuc,*[1]) *di immortales, invoco: sic reclusuri estis maria? obstate potius.* Accuratae oppositionis indicio est *potius*, atque inde colligi potest sanitatis specie fallere vocabulum *obstate*. Procul dubio restituendum est: *sic reclusuri estis maria? obstruite potius.* Cf. p. 25,4 *Ista maria si numine suo deus regeret, adulteris clauderentur.*

Suas. IV. 2. p. 28,22: *Qui vero in media se, ut praedicant, fatorum misere pignora natales inquirunt et primam aevi horam omnium annorum habent nuntiam, quo ierint motu sidera, in quas discucurrerint partes, contrane deus steterit, an placidus affulserit sol; an plenam lucem, (an) initia surgentis acceperit, an abdiderit in noctem obscurum caput luna; Saturnus nascentem, an ad bella Mars militem, an negotiosum in quaestus Mercurius exceperit, an blanda adnuerit nascenti Venus, an ex humili in sublime Juppiter tulerit aestimant: tot circa unum caput tumultuantis deos!* Facere non potui, quin totum hunc locum ἀστρολογικόν valde contortum sicut apud Kiesslingium legitur exscriberem: non enim proponenda simpliciter est aliqua emendatio, sed exponenda plura de conformanda et distinguenda universa oratione. Quae Kiesslingius edidit neque ego intellego neque quemquam intellegere puto. Haasius, Ribbeckius, alii, ad varias coniecturas confugerunt; quibus missis potius quid ipse exputaverim statim dicam. Censeo ante *quo ierint motu* gravius interpungendum esse, ea vero quae inde sequuntur omnia suspensa esse ex verbo *aestimant*. Deinceps reputa, quaeso, commemorari lunam, commemorari solem, commemorari quinque stellas errantes, — id quod non sine consilio fieri concedes. Atqui habemus in fine hoc ἐπιφώνημα: *tot circa unum*

Aliquid reconditi et abstrusi in eo, quod sane in pleniorum codd. nostrorum archetypo exstitisse videtur, *servorum*, latere ratus effecit *superorum*. At simplicissimum et verissimum est, quod cod. V corrector effecit indeque descripsit cod. T librarius, *deorum,* quod vocabulum etiam in antecedenti colo eodem modo usurpatur. Ortus autem error est ex eo, quod archetypi librarius, cum duo illa verba *deorum servata* legisset, in scribendo memoria falsus alterum cum altero confudit.

[2]) Rectissime hic iudicasse puto Ribbeckium, qui quod codd. habent *ad hunc* delevit. Repetitum enim est ex eo quod praecedit (v. 22) *nihil adhuc virgo eqs.*

caput tumultuantis deos! Itaque ut stellae errantes illae, ita sol et luna hic debebunt haberi pro deis eorumque nomina sic exarari ut fieri solet in nominibus propriis. Iam vero si spectamus illa *contrane deus steterit*, qualis hic potissimum significetur deus, non liquet. Immo tenemus inde ab his verbis tria orationis membra accurate distincta, quorum in primo agi videtur de sole, in secundo de luna, in tertio de stellis errantibus; ut autem tertium a secundo recte segregatur, ita huius initium ab editoribus non recte constitutum est, qui cod. T correctorem secuti dedere *an plenam lucem* pro *in plenam*: omnino tollendum est illud *in*, sive ex sequenti *initia* sive aliunde natum est. Ceterum tertii membri primam particulam decurtatam esse bene monuit Konitzerus. Restat, ut persanemus primum membrum, quod manifesto vitio laborare intelleximus. Parvula mutatione opus est; scripsit, nisi egregie fallor, Seneca: *contrane durus steterit an placidus adfulserit Sol.*

Suas. VI. 9. p. 38,3 altera divisionis Latronianae pars, qua posuit Ciceronem, etiamsi Antonium deprecaretur, vitam impetrare non posse, adumbratur paucis, quorum initium in codd. nostris ita scriptum exstat: *deinde: non futurum fidei impetratae beneficium.* Quibus iam Gronovius (ed. p. 38) decipi se non passus est. Sed quod ipse substituit *non futurum fidele vitae impetratae beneficium*, tam violenter munere suo functus est quam Kiesslingius, qui nuper edidit: *non futuram fidem impetranti beneficium.* Scribendum videtur: *non futurum fidei imperturbatae beneficium.* Cfr. Sen. Ep. 73. § 10 *imperturbata publicis occupationibus quies.*

Contr. I. praef. 7. p. 59,25: *in deterius deinde cotidie data res est, sive luxu temporum — nihil enim tam mortiferum ingeniis quam luxuria est — sive, cum praemium pulcherrimae rei cecidisset, translatum est omne certamen ad turpia multo honore quaestuque vigentia eqs.* Qui fit, ut nemo intellexerit scribi oportere *cum pretium pulcherrimae rei cecidisset?* Vix opus est afferre p. 53,5 *quamdiu suus litteris honor, suum eloquentiae pretium erit.*

Contr. I. 2,6. p. 84,5: *Romani Hisponis. Numquid hoc negas, conluctatam te tamen cum viro, quem in illa volutatione necesse est prius super te fuisse? Adiciebat leno merito occisum*

militem, plus ausum quam in prostitutam licebat. Exorasti populum: numquid et lenonem? Schultingius scribendum coniecit *adiciebat leno* pro eo quod est in codd. *adiebat* (T: *aditiebat*) *zeno*: acute profecto reposuit *leno*, sed leno nihil ‚adiecit.' Multo melius scripsit Bursianus *aiebat*; verum autem est, ni fallor, *at aiebat leno eqs.*

Contr. I. 3, 9. p. 98,16: *aiebat Cestius malle se casu videri factum quam deorum voluntate . . . itaque non probabat illud Triarii eqs.* Recte universam orationem primus constituit Bursianus, sed quod scripsit *itaque* mihi non placet. Codd. ABV habent *aptaquae*, sub quo delitescere videtur *propterea que*; quippe exstiterunt iam in codicum nostrorum archetypo, — non illo quidem, ut nuper quidam nimis confidenter asseveravit, maiusculis litteris exarato, — multa scripturae compendia, habemusque certum quendam locum, qui ad hanc quaestionem nonnihil faciat: p. 206,24 librarius pro *properat* legit *propter ad* idque compendiose scripsit; itaque cod. A exhibet *ppt͞ ad* eodemque redit cod. B scriptura *pt͞ ad.* Sic suspicor nostro loco olim exaratum fuisse *ppt͞ eaquae*, inde manasse quod nostri codd. habent *aptaquae.*

Contr. I. 6,11. p. 118,7: *Omnes honestam matrem puellae dederunt, omnes dixerunt qua misericordia* (*discessisse*) *motam, qua amore.* Nolo nunc quaerere, quam vere Kiesslingius hic inseruerit *discessisse*, contra in sequentibus nonnulla deleverit: alia in his mihi oblata est difficultas, quam nemo sensisse videtur. Etenim quid sibi velit ‚matris' puellae mentio non dispicio, non video, quam ob rem dicatur eam discessisse, atque id motam misericordia vel amore. Dicta haec esse apparet de ipsius puellae facto: quapropter scribendum propono: *omnes honestam mentem puellae dederunt.* Cf. p. 348,27 *habuit bonam mentem*, p. 400,27 *ut salva provincia sit, optemus meretrici bonam mentem?*

Contr. I. 7,18. p. 129,21: *Hic* (sc. Gargonius) *putavit se varium colorem excogitasse pro patre: ego, inquit, dictavi: 'duplam dabo, si manus non praecideritis.' librario una syllaba excidit 'non' et scripsit 'si praecideritis'.* Omnes editores in cod. T scriptura *varium* (A B: *varrium*) acquievere; mihi ea futilis videtur atque pergaudeo idem sensisse W. Muellerum; tamen quod ipse com-

mentus est (praef. Kiessl. p. XIII) *praeclarum*, non probo. Pro certo habeo Senecam scripsisse: *hic putavit se vafrum colorem excogitasse pro patre.*

Contr. I. 8,15. p. 137,27: *aiebat praeceptorem suum in hac controversia describentem pericula futuri proelii ab hoc Homeri versu incepisse: Δαιμόνιε, φθίσει σε τὸ σὸν μένος.* W. Muellero haec accepta refert novissimus editor; ego non puto tanto molimine opus esse, sed magis insistens codd. vestigiis *ob hoc Homeri versus edisse* (V: *edidisse*) propono: *ob hoc Homeri versum*[1]) *dedisse.* Cfr. p. 325,18 *Publilianam sententiam dedit* itemque p. 321,22. p. 332,21.

Contr. II. 11,10. p. 186,10: *Cesti Pii. Timeo mortem nec iam habeo cui peream.* Haec ego non intellego: quid enim est, cur filius patrem non exorans mortemque timens dicat se non iam habere cui pereat? Meo iudicio veri vestigia hic melius servavit cod. T in quo est *paream*, legendumque arbitror: *nec iam habeo cui parcam.* Vult igitur filium vehementer commotum moraeque impatientem dicere se non dubitare vel contra patrem quidvis iam moliri, ut evitet mortem impendentem. Simillimo modo p. 337,5 Julius Bassus dicit *cui parcam parricida non habeo.*

Ibidem § 20. p. 192,9: *Latro hoc colore usus est: scitis periclitantes alieno arbitrio agere. illi qui circa erant sodales, qui occurrerant amici paterni, aiebant: eamus statim ad raptae patrem; in eiusmodi casu illi rogantur; nam raptorum patres rogant'.* Pro eo quod vulgatur *illi* cod. A exhibet *hubi*, ceteri *ubi.* Dubius iam haesit Kiesslingius, sed nihil egit coniiciendo *hi subito rogantur.* Scribendum puto: *in eiusmodi casu hi uni rogantur: nam raptorum patres — rogant.*

Contr. II. 13,7. p. 207,1: *Imputat tibi quod publica est; imputat tibi quod torta est; imputat tibi quod sterilis est.* Tam ridicule dicitur hanc optimam uxorem imputare marito quod ‚publica' sit, nihil ut esse possit supra. Hoc quid sit docet Sen. Ep. 88,37 *quaeritur . . . an Sappho publica fuerit.* Neque quidquam proficitur cod. T lectione *publicata.* In promptu est emendatio lenissima eademque certissima: *imputat tibi quod pudica est.*

---

[1]) Singularem numerum res ipsa requirit: nam unum tantummodo versum eumque vix integrum ex Iliadis illo loco petere poterat.

In eadem porro Contr. II. 13,18. p. 213,20 Kiesslingius emendationem desperans haec edidit: *Repudium † ex tuo quoius liberorum cupiditate, quo semper uti tamquam maritus debuisset, postea magis tamquam tyrannicida.* Aliqua ex parte emendationem recte inchoavit Gronovius, cum scriberet *repudium excusavit*, sed pellectus tradito *debuisset* de universae orationis forma perperam iudicavit et praeterea etiam multifariam a vero aberravit. Equidem ratione habita eorum quae proxime antecedunt *si beneficium putas te dedisse quod tyrannicidium non prodidisti, ego prior dedi qui tibi tyrannicidium credidi* totum locum impeditissimum puto expediri posse sic: *Repudium excuso quoivis liberorum cupiditate: quo semper uti tamquam civis*[1]) *debui, set postea magis tamquam tyrannicida.*

Contr. II. 14,5. p. 218,16: *Latro sic divisit: an ob hoc accusari pater possit. Hic illam volgarem quaestionem posuit, quam solebat fastidire: scilicet minime hoc patri obici solere eqs.* Post *fastidire* in codd. exstat *se leuiт̃*, in cod. T corr. est *seleutius;* inde natus fabulosus quidam *Seleucus* sive *Seleucius*, cui a Kiesslingio tandem aliquando adempta est civitas. Atque efficitur quidem ex Contr. II. 11,12 sq. ipsum Latronem tales quaestiones fastidire solitum esse; sed latere in perplexa codd. lectione otiosum illud *scilicet* aut, quod Madvigio in mentem venit, *sed leviter*, minime credibile videtur. Mihi fere persuasum est restituendum esse: *quam solebat fastidire sollicitius.*

Paullo post § 9. p. 221,6: *consilium luxuriante filio conceptum emendato (est) supervacuum.* Mirum quantum hic codd. lectio *filium ñ aestum* (T: *filiam estū*) viros doctos vexavit multos; sed in devia aberrarunt omnes. Facillima opera extunditur quod verum est: *luxuriante filio honestum.* Cfr. p. 219,20 *incipio non tantum honestum senem, sed prudentem defendere*, et similiter pp. 109,11. 199,20. 479,25. Quod codd. AB habent *ñ aestum* est *nonaestum*, errore ortum ex *honestum.*

Exc. Contr. III. praef. 16. p. 246,2 refert Severus Cassius iocosam fabellam de Cestio: *Memini me intrare scolam eius cum*

[1]) Certissima haec est emendatio Kiesslingii (codd. *eius*), quam cur praelata Jahnii prava coniectura in adnotationem relegarit, non intellego.

recitaturus esset in Milonem; Cestius ex consuetudine sua miratus dicebat: si Threx essem, Fusius essem eqs. Quid? miratusne dicebat Cestius? cur tandem miratus? Prorsus insana haec est lectio, licet patienter eam tolerarint critici. Quid commemoratum fuerit elucet ex sequenti narratione: etenim tumida illa Cestii vanitas sano sobrioque Cassio bilem movit. Quare lego: *Cestius ex consuetudine sua inflatus dicebat.*

Contr. VII. 19,10. p. 333,15: *Multis compositio belle sonantis sententiae imposuit; itaque memini Latronem Porcium, ut exprobraret hanc audiendi scolasticis neglegentiam, . . . in quadam controversia, cum magna quasi (vi) fluerent et concitata, sic locum conclusisse eqs.* Sumpsit haec Kiesslingius a Madvigio, qui inserta vocula *vi* hunc locum ad liquidum perduxisse sibi visus est. Ego, — pace summi viri dixerim, — Madvigium verum invenisse nego. Primum quid valeat illud *quasi vi*, non assequor; deinde vero male se habet pluralis ille *magna fluerent et concitata.* Est locus, quem non inutiliter cum nostro conferre possis, p. 151,15 *cum verba velut iniussa fluerent*; — quem tamen si diligentius inspexeris, a nostro eum aliquam multum differre nihilque offensionis habere senties. Itaque sagaciter suspicatus est Bursianus scribendum esse *flueret.* Quod quo magis commendetur afferre mihi liceat p. 260,27 *multa erant quae reprehenderes, multa quae suspiceres, cum torrentis modo magnus quidem, sed turbidus flueret.* In ceteris sane verbis constituendis non sto a Bursiano, qui proposuit: *cum magno cursu flueret et concitato*, sed scribo potius: *cum magna phrasi flueret et concitata.* Cfr. p. 293,17 *non hexis magna sed phrasis. dicebat enim citato et effuso cursu, sed praeparatus*; et p. 243, 8 (habebat) *phrasin non vulgarem nec sordidam, sed lectam, genus dicendi non remissum aut languidum, sed ardens et concitatum.*

Contr. VII. 23,1. p. 361,17: *Proponite vobis illam supplici faciem, carnificem, securim: iam hoc semel licere nimium est.* Omnes pleniores codd. exhibent *supplici causam faciam*, et est profecto mendosum *causam*, sed non ideo licet hoc vocabulum omnino avertere, id quod omnes adhuc editores fecerunt. Unde enim natum sit? an putabis agnoscendam dittographiam? Immo *faciam* ortum ex *faciem* propter praecedens *causam.* Latet igitur ali-

quid; — neque vero hoc in profundo penitus abstrusum est, sed satis facile eruitur ita: *illam supplici invisam faciem.* Excerptorum auctoritati in tali re nihil tribuendum esse hoc loco vel maxime confirmatur: nimirum qui illa confecit satis habuit exscribere (p. 378,29) *proponite supplici faciem eqs.*

Contr. VIIII. 27,6. p. 421,28: *Juli Bassi. Quoniam usque eo saeculum mutatum est, (ut) parricidae pater adsit, nos* (sic Burs., codd. *non*) *istius advocationi adsumus.* Plane contraria haec est sententia ei, quam equidem exspectaverim; cum enim disserat Bassus contra filium, patris advocationem probare non potest. Proinde clausulam sic conformare malim: *nos*[1]) *istius advocationi desumus.*

Contr. X. 30,9. p. 472,19: *Latro sic divisit: an in re iniuria sit. Nulla, inquit, iniuria est. sordidatus sum; quam multi faciunt! Omnia iniuriae genera (lege) comprehensa sunt: pulsare non licet, convitium facere contra bonos mores non licet. Hoc loco Scaurus dixit: nova formula iniuriarum componitur: 'quod ille illi contra bonos mores convitium (fecit)'.* Extrema huius loci verba in codd. sic scripta sunt: *quod ille* (errore om. T) *illi contra bonos mores* (B: *moros) vit* (T: *fuit).* Quorum emendatio nemini adhuc prospere cessit. Potest autem liquido confirmari Scaurum indidem profectum, unde profectus erat Latro, ironice nescio quid pronuntiare; elucet hoc ex verbis *nova formula iniuriarum componitur,* quae quomodo intellegenda sint ut percipiatur, unum certe exemplum liceat afferre, p. 194,24 *Novi generis dementia arguitur: sanus eram, si non agnoscerem meos.* At vero quod Bursianus antiquiores fere secutus edidit *quod ille nihil contra bonos mores fecit* acumine plane caret neque possum aptam in eo deprehendere ironiam. Multo etiam minorem probabilitatem habet Kiesslingii audacissima coniectura, quam in textu posuit supraque eam nos exhibuimus: etenim et praecedentibus declaratur et per se satis constat illam ipsam formulam fuisse ex sollemnibus et usitatis. Age vero consideremus, in quanam quae-

[1]) Similiter erratum est Contr. VII. 20,4. p. 336,13, ubi codd. AB exhibent *adulteram nos times.* Veram lectionem *non times* praebet cod. T, neque audiendus est Kisslingius, qui a mendosa illa scriptura profectus edidit *nosti.*

stione versemur: quaeritur *an in re iniuria sit*; — in qua tandem re? nimirum in ea, quod sordidatus divitem secutus est pauperis occisi filius. Cuius rei memoribus praesto est lenis correctio haec: *nova formula iniuriarum componitur: 'quod ille illic contra bonos mores ivit'*. Ecce ironia festivissima, qua et alii similiter luserunt, ut p. 469,9 Julius Bassus: *'cur me, inquit, sequeris?' quasi aliud iter pauperes, aliud divites habeant*, et p. 469,22 Arellius Fuscus: *facinus indignum commissum est: dives et pauper eadem via incessimus.*

In eiusdem Controversiae § 14. p. 476,2 Albucii lenonem, qui per dolum et insidias decem adolescentibus perniciem molitus erat, increpantis ‚sordida' sententia sic editur: *itane sic peribunt decem iuvenes propter dipondios tuos?* Boni codd. habent omnes *ita nisi*; inde saeculo XVI codicis T corrector effecit *itane*, quae interpolatio, — ut permulta eiusdem farinae, — vulgo olim recepta est. Quod Kiesslingius edidit Bursiano debetur codd. lectionem paullo curiosius respicienti. Vereor tamen, ne opinio illos fefellerit; — certe non memini me ita coniunctum legere *itane sic*, estque ad manum emendatio et facilior et veri, nisi me ipsum omnia fallunt, multo similior ea, ut scribatur: *ita*[1]) *miseri peribunt decem iuvenes propter dipondios tuos?* Cfr. p. 324,5 *miser aeque timui ne . . . daret*, p. 355,4 *Quid faciet miser?* p. 492,28 *quid enim miseri rogare sciunt nisi stipem?* Facilem mutationem vel ideo dixi esse, quod suspicor, sicut in simili re p. 206,24 factum vidimus, *ser* exaratum fuisse una littera *s* adiecta virgula, qua omissa *misi* abiisse in *nisi* nemo mirabitur.

V.

Quoniam satis diu lectores in Latinis detinuimus, nunc lubet missis illis, antequam dissertationi nostrae finem imponamus, addere pauca spectantia ad Graecorum rhetorum sententias, quas Seneca, ‚ut ingenia ingeniis conferrentur', saepius Romanorum

---

[1]) Multo saepius in eiusmodi interrogationibus occurrit in his libris *ita* quam *itane*. Nonnulla exempla supra allata sunt p. 18 in adn.

sententiis interposuit, cruces illas virorum doctorum qui hos libros tractarunt fere omnium. Sunt enim Graeca illa, ut scite ait Schottus, Gothicis potius litteris quam Graecis exarata a librariis Graece legendi nedum intellegendi ignaris. Quod quidem si diligentius tecum reputaveris, consenties, opinor, mecum praemonendum censenti de via et ratione hic ineunda, quod alibi fortasse nimiae cuiusdam superstitionis videri possit, id in hac provincia pernecesse esse, ut summa religione rimemur traditos apices. Etenim ad eam suspicionem, ut putemus librarium memoria notorumque sibi verborum imaginibus deceptum vitiosa exarasse, — quem errorum fontem alioquin esse uberrimum scimus experti, — hic redeundum non est: omnia referenda ad incuriam erroresque oculorum.

Initium capiamus a loco praeter consuetudinem fere integro, ut vindicemus eum a Schultingii licentia, quae nuper vel Kiesslingio imposuit. Contr. VIIII. 25,29. p. 411,25, si semel pro *Α* substitueris *Δ*, in codd. leguntur haec: *dixit in hac Nicetes: ὡς δ᾽ ἤκουσαν ὅτι συμπόσιόν ἐστιν ἤριζον.* Supervacua est Schultingii mutatio scribentis *ὡς δ᾽ ἤκουσεν . . . ἤλπιζεν,* modo verba tradita recte intellegamus. Est autem sententia haec: ubi audiverunt captivi convivium celebrari, rixabantur, scil. uno quoque, ut libertatem reciperaret, ad proconsulem duci gestiente. Ad rem illustrandam cfr. p. 412,9 sententiam Glyconis.

Iam cetera ordine persequamur.[1]) Contr. I. 8,16. p. 138,16: *Glycon dixit: οὐκ ἔστιν ΕΥΙCΑΝΟΝΙCΤΟΝ ὑπὸ κλαίοντος προπέμπεσθαι.* Sagaciter haec Haasius et Bursianus ex codicum vestigiis subobscuris eruerunt, sed in eis, quae sicut in codd. exstant exscripsi, enodandis nemo adhuc mihi satisfecit. Bursianus et Kiesslingius Haasium secuti dederunt *εὐκανονιστὸν,* quod vocabulum quomodo hic ferri possit, ego non dispicio: quippe non usurpatur nisi de *τόπῳ*, ut sit ‚optimis regulis directus.‘ Neque minus improbo, quod Madvigius coniecit, *εὐδαιμονιστὸν*: non videntur Graeci hac forma usi esse, neque omnino placet hoc verbum.

---

[1]) Quamquam de universo loco sententia mihi nondum constat, tamen verbo notabo Contr. I. 7,18. p. 130,2, ubi codd. habent *donent ΑΧΕΙΝΟΝ,* Kiesslingium, postquam scite restituit *εἴδομεν,* non bene scripsisse *ταχύπλουν*

Meo iudicio pater filium in aciem exire volentem cum fletu retinens nihil aliud dicit nisi hoc, detestabile omen esse, si quis a flente dimittatur. Quare scribo: *οὐκ ἔστιν ΕΥΟΙΩΝΙΣΤΟΝ ὑπὸ κλαίοντος προπέμπεσθαι.* [1])

Contr. II. 11, 23. p. 193,10 Artemonis sententiam ingeniose Bursianus et Haasius restituerunt hoc modo: *λέγε, τί σοι πρὸς τὸν πατέρα τῆς ἐφθαρμένης συμπεφώνηται; λέγε, πῶς πέπεικας; σιωπᾷς; φωρᾷ.* Hoc unum moneo non satis caute ex codd. scriptura *CYMTIΦΩNVKEC* (A : *AYMTIΦΩNUKECT*) effectum esse *ΣΥΜΠΕΦΩΝΗΤΑΙ*, cum potius subsit *ΣΥΜΠΕΦΩΝΗΚΑΣ*; quod quoniam etiam sequenti *πέπεικας* bene respondet, iam apparet deceptum esse Bursianum antecedentium litterarum *ΠCOI* specie rectiusque scripturum fuisse *ΠΩΣ*. Tenemus enim anaphoram satis perspicuam: *λέγε, πῶς πρὸς τὸν πατέρα τῆς ἐφθαρμένης συμπεφώνηκας; λέγε, πῶς πέπεικας;*

Graviores difficultates praebet in eadem § 23. p. 193,17 sententia Dioclis Carystii. Kiesslingius auctore Bursiano edidit haec: *Diocles Carystius a parte patris ethicos dixit: ,ἐγὼ οὖν ἀποθάνω;' θάνε. εἰς τί γὰρ ἥρπαζες; εἰς τί γὰρ ΕΟΕΟΥ; εἰς τί γὰρ ἐμαίνου;* Vides ipsum indicasse unam certe vocem nondum persanatam esse; mihi ne sequentia quidem sana videntur. Filio instanti et urgenti et ad extremum interroganti ,ergo mori me vis?' pater respondet ,sane morere!' iamque ipse filium urget ter interrogando, cur scelus illud commiserit; — cuius rei certum indicium est triplex *εἰς τί γάρ*. Iam vero nemo dubitabit, quin primo loco recte emendatum sit *ἥρπαζες* (codd. habent *ΕΡΠΑΖΕC*, A : *ΕΡΕΠΑΖΕC*), anquiremus igitur duo verba, quae illi cum quadam vi superponi possint. Atque sub *ΕΟΕΟΥ* vel *ΕCΕΟΥ*

σκάφος: poterat fere integrum agnoscere *ταχεινόν*, vel, si haec forma ei displicuisset, — dubitat enim de ea Lobeckius pathol. serm. Gr. prol. p. 190, — certe scribere *ταχινόν*.

[1]) In extrema hac ipsa § 16 in confinio pp. 138 et 139 affertur Graeca sententia Dorionis ,attonitos patris adfectus exprimentis' misere corrupta meoque iudicio magnam partem nondum emendata. Antiquitus ibi edunt: *φοβοῦμαι περὶ τῆς οἰκουμένης,* — et tamen quid ineptius quam timere hunc patrem de orbe terrarum? *ΟΙΚΟΥΜΕΝΕ* quod codd. habent, videtur esse *ΟΙΚΟΙ ΜΕΝΕ;* tum sane manifestum est post *φοβοῦμαι περὶ τῆς* aliquid excidisse, possisque probabiliter inserere *ΤΥΧΗΣ*. De reliquis ipse nihil extricavi dignum commemoratu.

delitescere equidem suspicor *ΕΦΕΡΟΥ*. Quod autem tertio loco, ubi codd. exhibent *ΕΝΑΙΝΕΤΟ*, Ribbeckius coniecit *ἐμαίνετο*, plane alienum id est et ab ipsa sententia et ab orationis forma, quae secundam, non tertiam verbi personam aperte flagitat. Et ex altera quidem parte sanius est quod Bursianus excogitavit *ἐμαίνου*; tamen ne hoc quidem verbum aptum videtur: non enim agitur de insania, agitur de raptu et vitiatione. Scripserat Seneca, nisi egregie fallor, *ΕΛΥΜΑΙΝΟΥ*: inter *Ε* et *Ν*, ut fit, omissum est *ΛΥ*, cetera simplici incuria deformata.

Transeamus ad sententiolam Damae Scombri nondum emendatam, Contr. II. 14,12. p. 223,11. Cuius extrema verba leviter obscurata Bursianus recte legit ita: *ἀσωτίαν ἀσωτεύῃ*; ea quae praecedunt quaeque in codd. ita picta sunt: *CTHTHMENNN* (nisi quod in B: *CTHZH* —, in VT: — *MEHNN* exstat), idem Bursianus, — nam antiquiorum criticorum commenta, ut fere in Graecis, tacere praestat, — emendasse sibi visus est scribendo *ἐπὶ τὴν ἐμήν*: sed neque Kiesslingio persuasit neque mihi; nam, ut alia praeteream, talis sententia a filii parte dicta ferri nequit in serie sententiarum dictarum a parte patris. Mihi locum nostrum perpendenti illud *ἀσωτίαν ἀσωτεύῃ* prodere semper visum est etymologicam, quam artium scriptores vocant, figuram, desideroque adiectivum vel simile quid. Nescio an certa sit emendatio: *ΕΣΤΥΓΗΜΕΝΗΝ ἀσωτίαν ἀσωτεύῃ*. Increpat pater filium: invisa, inquit, mihi est tua luxuria.

Contr. VIIII. 25,29. p. 411,32 eis verbis, quae supra a prava mutandi libidine vindicare studuimus, adnectitur Euctemonis quaedam sententia, cuius tristem speciem Kiesslingius proponit hanc: *πάντες ἐνόμιζον ὅτι ECΛΤΟ*.[1]) Prima verba evidenter emendata sunt a Bursiano; parum prospere ei successit extremi correctio, et ne ipse quidem inventum suum *σεσῷτο* in textu ponere ausus est. Mihi haec occurrit emendatio, quam tua assensione non plane

[1]) Leviculus error in illius apparatum criticum irrepsisse videtur, in quo exaratum est *ΠΛΝΤΕCΕΜΟΝΖΟΟΗΕCΝΛΤΟ*; rectius dedit Bursianus *ΠΛΝΤΕCΕΜΟΝΖΟΝΟΗΕCΛΤΟ*, idemque sine dubio legere veteres editores: cf. ed. Gron. a. MDCLXXII. p. 313. Ceterum ipsum quoque Kiesslingium idem sequi docet eius textus; sed adnotandam hanc rem ideo duxi, ne quis inscius in fraudem incideret.

indignam fore spero: *πάντες ἐνόμιζον ὅτι ΕΛΕΛΥΤΟ;* id est: credebant omnes captivi ei, qui ex carcere ad proconsulem coenantem ductus erat, ab hoc libertatem esse concessam.

Contr. VIIII. 29,18. p. 445,10: *Nicetes egregie dixit in hoc eodem loco: συνοῖδέ μοί φησιν, ἡ θυγάτηρ, καὶ προσέθηκεν· ἐκ τούτου.* Sic vulgo haec olim circumferebantur, sic secure ediderunt et Bursianus et Kiesslingius: ego ut cetera probe emendata accipio, ita Graecum non puto *ἡ θυγάτηρ ἐκ τούτου,* cumque ne codices quidem exhibeant *EK,* sed *K,* non dubito, quin scribendum sit: *συνοῖδέ μοί, φησιν, ἡ θυγάτηρ· καὶ προσέθηκεν· Η τούτου.*

Contr. X. 30,15. p. 476,9: *illud in narratione: ὑπὸ τίνος ἀνῃρέθη, οὐκ οἶδα· εἶχεν ἐχθροὺς φύσει ΤΑΓΙΑΡΗCΑCΤΗC κατηγορεῖν δυναμένους.* Hoc loco cur Kiesslingius palmarem suam emendationem *παρρησιαστής,* quam in adnotatione proposuit, in textum non receperit, ego nescio: mihi certissima videtur. Dicit pauperis occisi filius suspicans divitem inimicum interfectorem esse: a quo pater interemptus sit nescire se, scire hoc inimicos illum habuisse utpote hominem natura perquam liberum. Similiter p. 469,1 Albucius dicit: *dum libere loquitur multos offendit,* et p. 471,17 Latro ita narrat: *crescere deinde in dies odium alterius impotentia, alterius libertate.* Nihil autem est quod idem Kiesslingius deinceps pro *ΚΑΙΗΤΟΡΕΙΝ* (B: *ΚΙΗΤΟΡΕΙΝ,* VT: *ΚΑΙ ΗΤΟΡΘΙΝ*) *ΔΥΝΑΜΕΝC* scripsit, *κατηγορεῖν δυναμένους*: quid enim ad rem, possintne inimici illi accusare necne? Immo restituendum est: *ΚΑΚΗΓΟΡΕΙΝ ΔΥΝΑΜΕΝΟΣ,* h. e. qui is erat, ut maledicere non dubitaret, sive, ut refricemus memoriam loci supra a nobis tractati, homo acidae linguae.

Contr. X. 34,23. p. 512,3. Kiesslingius Bursiani vestigia premens edidit: *Nicetes dixit: ἐν πυρὶ, σιδήρῳ ζωγραφοῦντα ἡμῖν ἢ τυραννοῦντα;* Ego in his acquiescere nequeo. Nihil dico de mutandi audacia, — codd. habent *ΕΙΠΥΝLCΙΔΙΡΡΩ* (V: *-ΙΓΡΩ*) *ΖΩΓΡΑΦΟΝΤΑΙΤΙΝ* (V: *-ΟΝΓΑΠΙΝ*) *ΤΥΡΑΝΝΟΥΝΤΑΙ,* —: quaero, qualis haec sit sententia, qualis orationis forma. Quid sibi volunt illi accusativi? quid est *ζωγραφεῖν* et *τυραννεῖν ἐν πυρὶ, σιδήρῳ*? quomodo excusatur asyndeton? Vide nonne magis id placeat, quod ego leni manu efficio: *ΕΙ ΠΥΡΙ ΚΑΙ ΣΙΔΗΡΩΙ*

ΖΩΓΡΑΦΟΥΝΤΑΙ, ΤΙΝΙ ΤΥΡΑΝΝΟΥΝΤΑΙ; Itaque hoc dicit: si ferro et igni pinguntur, quomodo reguntur et coërcentur? Ecce tibi argutiae vere rhetoricae: habent enim rhetores in deliciis hoc argumentandi genus, ut, quam perverse aliquid vel ponatur vel fiat, coniecturam capiant ex re maiore. Exempli gratia cfr. p. 404,11 *qui sic convivatur, quomodo irascitur?*

Iam, ut concludamus aliquando commentationem nostram, ultimum tractemus locum Graecum, qui exstat in eiusdem Controversiae § 28. p 514,1. Refert Seneca cum cavillatione acerbisque facetiis fatuam quandam Glyconis Graeculi sententiam. Is enim (§ 27) *voluit videri volturios ad tabulam Parrhasi advolare*, fabellam notissimam inepte in suos usus convertens. Sunt autem Senecae verba, ut apud Kiesslingium leguntur, haec: *Spyridion aeque familiariter in templum volturios subire putavit quam passeres aut columbas; dixerat enim: σαρκοφάγα σοῦ γ' ἡ γραφὴ ΝΑΓΑ ζῶα.* Atque caute quidem fecit ille, quod monstrum quale in codd. habetur integrum repraesentare quam aliquo ex eis, quae ad manum ei erant, commentis uti maluit Nam quod Bursianus olim in textu posuit *κατὰ* nequaquam satisfacere ipse sensisse videtur, quippe qui in adnotatione haec addiderit: ‚fort. tamen scr. est *παγᾷ*, ut fuerit verbum graecum *παγᾶν* ab eo quod est *πάγη* formatum idem significans quod *παγιδεύειν* ab eo quod est *παγίς*'. At vero haec cum scriberet, de fumo ad flammam, ut aiunt, vir egregius tetendisse videtur; — quis enim erit qui illud verbum *παγᾶν* ei acceptum referat? Ipse autem Kiesslingius invento suo, quod dubitanter in adnotatione proposuit, ‚*παγιδώσει. Nolo*', iure non multum tribuisse videtur: nimis violenter mutantur quae tradita sunt tolliturque illud *sed*, quo, quoniam suam vim habet, aegre caremus. Equidem fere praestiterim scribendum esse: *σαρκοφάγα σοῦ γ' ἡ γραφὴ ΑΠΑΤΑΙ ζῶα.* Quod quam bene cum rhetoris illius consilio conveniat patet: vult atrocem illam imaginem tam accurate veritatem imitatam esse, ut vel aves rapaces deciperentur et tamquam ad praedam advolarent.

— —

Index locorum de quorum scriptura disputatur.

AEMILIUS THOMAS DE VITA SUA.

Natus sum Schrodae, in oppido Posnaniensi, d. VIII. m. Aug. a. MDCCCLVIII patre Boleslavo iurisconsulto, matre Elisa e gente Brachvogel, quos vivos pie veneror. Fidei adscriptus sum evangelicae. Elementis litterarum intra privatos parietes per magistros quosdam imbutus anno h. s. LXVIII, cum pater Krotoschinum commigrasset, gymnasio, quod ibi Gladischio, sene venerabili, rectore tunc florebat, traditus sum eiusque discipulus per octo annos fui. Pio animo semper colam praeceptorum carissimorum memoriam, qui liberalium studiorum amorem in me excitarunt et foverunt, inter quos cum Nielaender et Guenther philologi et Schoenborn mathematicus, tum Leuchtenberger, gymnasii Krotoschinensis hoc tempore rector, cuius egregia disciplina per unum saltem annum uti mihi contigit, praecipue mihi nominandi sunt. Vere anni h. s. LXXVI maturitatis testimonium adeptus Lipsiam me contuli studiis philologicis operam daturus. Sex mensibus post Jenam migravi ibique duo semestria commoratus amoenam universitatem Rhenanam adii. Cuius civis cum item per duo semestria fuissem, auctumno anni h. s. LXXVIII Berolinum petivi atque adhuc in hac alma litterarum sede ad studia mea incubui. Scholas frequentavi professorum clarissimorum Ritschl Curtius Lange Leskien Huebschmann Lipsiensium, Rohde de Gutschmid Delbrueck Eucken Jenensium, Buecheler Usener Kekulé Bonnensium, Vahlen Kirchhoff Huebner Muellenhoff Zeller Berolinensium. Lipsiae praeterea sodalis fui et proseminarii philologici, quod moderabatur Lipsius, et Curtii societatis grammaticae et Goeringii societatis philosophicae. Porro Jenae mihi

contigit favore vv. cll. Rohde de Gutschmid M. Schmidt, ut seminarii philologici per duo semestria essem sodalis ordinarius. Ibidem apud Sieversium palaeographiae Latinae elementa didici. Commorationis Bonnensis cum ob alias causas, quas exponere non est huius loci, suavissima mihi est memoria, tum ob insignem Buecheleri et Useneri facilitatem, qui seminarii regii philologici, cuius exercitationibus per duo semestria interfui, sodalem ordinarium me crearunt semperque studia mea propensa voluntate adiuverunt. Atque permisit mihi etiam Buecheler, ut exercitationibus Oscis et Umbricis a sese institutis interessem. Berolini denique ut exercitationibus suis interessem benigne concesserunt philologicis Vahlen, epigraphicis Kirchhoff, Aristoteleis Zeller, Theodiscis Muellenhoff. Quos viros optime de me meritos esse grato animo profiteor: facere autem non possum, quin singulares gratias agam Vahleno, cuius subtili doctrinae et eximiae erga me benevolentiae plurimum debeo.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I.

L. Annaei Senecae Naturalium Quaestionum codex Bambergensis, qui vulgo saeculi XI esse perhibetur, non scriptus est ante posteriorem saeculi XIII partem.

II.

De ordinandis earundem Naturalium Quaestionum libris ne recentissimis quidem commentationibus recte mihi videtur statutum. Equidem puto noviciorum codicum nostrorum inter se discrepantium hac in re auctoritatem esse plane nullam, eaque quae aetatem tulerunt frusta sic ordinaverim: Prologus. II. VII. I. IV[b]. V. VI. III. IV[a].

III.

Sen. de Clem. I. 3,1 sic scripsit: *Nunc in tres partes omnem hanc materiam dividam. Prima erit in animi (remi)ssi bonis, eqs.* (Cod. *N* corrupte *manumissionis.*)

IV.

In Plauti Men. IV. 2,40 sq. non recte post Ladewigium Ritschelius versibus multifariam transponendis genuinam huius scaenae formam reciperare studuit: ego agnosco certa duplicis recensionis vestigia et expungo vv. 40—55.

V.

Liv. XLIV. 6,8 ita distinguenda oratio: *nam praeter angustias, — per quinque milia, qua exiguum iumento onusto iter*

est, rupes utrimque ita abscisae sunt, ut despici vix sine vertigine quadam simul oculorum animique possit, — terret et sonitus et altitudo per mediam vallem fluentis Penei amnis.

VI.

Iuv. Sat. VI 294 sq. ad hunc modum restituo:

nullum crimen abest facinusque libidinis, ex quo
paupertas Romana perit. hinc fluxit Abydos
et Sybaris pollens, hinc et Rhodos et Miletos
atque coronatum et petulans madidumque Tarentum.

Cod. P. v. 295 *ad indos* (cfr. Athen. XII. cap. 28), v. 296 *colles.*

VII.

Hymn. Hom. in Apoll. Del. v. 162 sq.

πάντων δ᾽ ἀνθρώπων φωνὰς καὶ κρεμβαλιαστὺν
μιμεῖσθ᾽ ἴσασιν.

pro inepto *ΚΑΙ* scribendum *ΚΑΤΑ.*

VIII.

Aesch. Eum. v. 193 sq.

λέοντος ἄντρον αἱματορρόφου
οἰκεῖν τοιαύτας εἰκὸς, οὐ χρηστηρίοις
ἐν τοῖσδε πλησίοισι τρίβεσθαι μύσος.

corruptum est v. 195 *ΠΛΗΣΙΟΙΣΙ* restituendumque *ΠΑΝΟΣΙΟΙΣΙ.*

IX.

Aesch. Eum. v. 405 *πώλοις ἀκμαίοις τόνδ᾽ ἐπιζεύξασ᾽ ὄχον* non est corruptus, sed interpolatus; repetitus ex alia, fortasse ipsius Athenae, *θεοφανείᾳ* similitudinis causa videtur adscriptus esse versui 404.

X.

Soph. Trach. v. 196 *τὸ-ποθοῦν* defendi posse nego; scribendum propono:

τὰ γὰρ ποθεῖν᾽ ἕκαστος ἐκμαθεῖν θέλων
οὐκ ἂν μεθεῖτο, πρὶν καθ᾽ ἡδονὴν κλύειν.

XI.

Plat. de Rep. II. 19. p. 380 D: *τοτὲ μὲν αὐτὸν γιγνόμενον καὶ ἀλλάττοντα τὸ αὑτοῦ εἶδος εἰς πολλὰς μορφάς, τοτὲ δ' ἡμᾶς ἀπατῶντα καὶ ποιοῦντα περὶ αὐτοῦ τοιαῦτα δοκεῖν;* Post *αὐτὸν* inserendum *ἄλλον*.

XII.

Ibidem VI. 5. p. 490 A: *Οὐκοῦν ἓν μὲν τοῦτο σφόδρα οὕτω παρὰ δόξαν τοῖς νῦν δοκουμένοις περὶ αὐτοῦ;* Tollendum importunum *οὕτω*: mero enim errore repetitum est ex antecedentibus verbis *ἦν γὰρ οὕτω λεγόμενον*.